Ad historiam hexametri latini symbola

Theodor Birt

Herrn Professor Schmidt hochachtungsvoll d. Vf.

AD HISTORIAM
HEXAMETRI LATINI SYMBOLA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XI MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXXVI HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

THEODORVS BIRT

HAMBVRGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

R. BALLHEIMER STVD. PHIL.
I. BRVNS STVD. PHIL.
L. MARTENS STVD. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXVI.

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

S.

Hexametri latini quae formae omnibus acceptae fuerint poetis, quae plerisque, quae paucis, quae denique sinceritatem artis aperte deforment qualis invaluit post Lucretium maxime et Ciceronem, postquam iam satis diu ut teneamus conspectu Lachmanno Hauptio graviora praemonstrantibus L. Muelleri imprimis cura effecit [1]), unum tamen restat quod non levis momenti aestimo ad rem criticam cognitionemque poetarum, ut singularum formarum apud quemque quae frequentia sit accuratiore exemplorum enumeratione demonstretur. Quod munus passim adgressus noluit absolvere Muellerus neque eius nisi partes leviusculas attigerunt qui de hephthemimeri contra Muellerum disputavit H. Klappius [2]) et qui de singulis poetis egerunt imprimis de elegiacis, B. Eschenburgius [3]), E. Eichnerus [4]) quique alii infra in re versantibus occurrent. Drobischius [5]) autem et Hultgrenius [6]) qui de pedibus tantum calculos posuerunt et heroici versus et elegiaci apud Graecos Germanos Latinos tum dactylo constantibus tum spondeo, nonnulla nos certe docuerunt periucunda et de diversitate inter hexametros graecos latinos germanicos et de auctu in

---

1) De re metrica. Lipsiae 1861 pg. 176 sqq.

2) Bemerkungen über die Hephthem. des lat. Hexameters. Posen 1868.

3) Observationes criticae in Propertium. Bonnae 1865.

4) Bemerkungen über den metrischen und rythmischen Bau.... des Catull, Tibull, Properz und Ovid. Gnesen 1875.

5) Berichte d. Verh. d. sächsischen Ges. d. Wissensch. 1866. 1868. 1875.

6) Observationes metricae. I II. Lips. 1871. 1872.

latinis planissimo. Ceterum mihi quidem interdum fortuitis satis obnoxii fuisse videntur; neque enim quod inter Lucreti numeros et Vergili epici non parva intercedat similitudo, magni dices referre, quia non Lucretio sed poetis novis Cinnae imprimis successit Aeneis; neque nos inter illos infra latebunt discrepantiae. Similiter si Properti numerorum tabulam inspexeris, sicut quinti eius libri aliquis progressus notabitur ita desperabis de libris secundo tertio quarto. Quid quod apud eundem rarescit forma quae ab illis signatur dsds quam amori poetarum magis magisque se insinuasse reliquis tabellis luculente ostenderunt!

Atque huius ipsius formae dsds parum sensisse Drobischius videtur cur ita usus extendatur et cur nihilo minus Ovidius eam Vergilio magis evitaverit; quod tamen ei patebit per se qui in caesuras inquisiverit accuratius. Desmologiam igitur quam ad osteologiam suam accedere posse dicit philosophus Herbartianus, nos rem esse ducimus primariam cuiusque in studium intentius incumbentes operae pretium facere videamur. Neque enim pedibus sed verbis conseritur versus [1]). Idem si in libertate hominum certam tamen valere legem docturus erat qua vel inscii medium aliquid servavissent, nos contra iuvamur varietatibus quae conscientiae debentur et electioni.

Caesura in universum quid sit agitare nolumus. Omnium certe iudicio qui latinam artem non sunt obliti haec fere verba respondent G. Hermanni, quibus tamen ipse non satis obtemperabat: „caesura censetur finiendo

---

1) Quare egregie Hultgrenius errat (Observ. metr. II pg. 9) et alios et versus hos: Interea placidam redimita papavere frontem; Faunus adest oviumque premens pede vellera duro (Ovid. Fast. IV, 661. 663) inter se pares esse opinatus. Talia potius suam in rem exempla promere debebat quales Lucreti versus sunt (V, 621 sq.): Quanto | quaeque | magis || sint | terram | sidera | propter; Tanto | posse | minus || cum | caeli | turbine | ferri.

vocabulo in ipso fine ordinis metrici" [1]). Tamen Latini hexametri naturam et indolem parum his absolvi fugere non debebat qui eius artis spectarent vel incunabula.

Itaque Ennius — a quo quasi a Prometheo est incipiendum et formante lutum et animante — inter hexametros Annalium 528 — non plus enim tredecim turpiter titubantem produnt — 467 incidere voluit post arsin tertiam sic

Respondit Juno | Saturnia sancta dearum (I)[2]),
11 versūs post secundam simul arsin et quartam sic

Expectans|si mussaret|quae denique pausa (II),
29 itidem nisi quod accedere voluit distinctionem verborum post tertium trochaeum sic

Ingenium|cum nulla|malum|sententia suadet (III);
neque igitur post tertium trochaeum incisionem Graecis quam sciebat gratissimam per plus 21 versus regnare sivit.

Hanc igitur dicendum est ab eo heroicis caesuris vim esse tributam idque officium ut incitarent certamen inter metricum accentum atque grammaticum. Ex quo enim primus hic versus factus est: Musae quae pedibus magnum pulsatis Olimpum, duos imprimis qui semiquinariae antecedunt semipedes huic certamini tribuit omnis Latinitas. At quae obfuisset certamini trochaica incisio si tamen irrepebat, intolerabilem eam duxit Ennius nisi per duplicem incisionem post septimum simul et tertium semipedem novum certamini et duplicem campum recuperaret. Quid est igitur cur Latinos cum Graecis comparemus si hoc novum illi caesurarum munus prorsus ignorabant quippe quorum lingua non esset barytona? Atque Lehrsius [3]) nullam omnino caesuram valere contendit nisi in pede tertio vel in medio hexametro; hoc

1) Elem. doctrinae metricae pg. 32; cf. eiusdem epitomes doctr. metr. §. 58.

2) Brevitatis causa appositis his numerorum siglis I II III IV V VI per procedentem disputationem singulae hexametri formae indicabuntur.

3) De Aristarchi studiis Homericis² pg. 394 sqq.

sicut de Graecis non multos credere video[1]), ita ne in rem metricam Latinorum quis inferat copiose defendit Muellerus[2]) imprimis aequabilitatem inter versus particulas eo violari[3]) intellegens. Sin autem modo ut fecimus eam vere latinam in hexametro caesuram dixeris qua vocabuli praecedentis accentus in ultimam syllabam abripitur, iam acta res erit[4]). An — ut etiam hoc addam — quod Graecorum caesura quae audit bucolica estque in fine pedis quarti aliā de causa repudiabatur a Romanis[5]) nisi quod munus illud quod indicavimus tueri non valebat?

Itaque in exemplis Ennianis II et III primum agnoscitur hephthemimeres; simul tamen de trithemimeri vereor ne nimis caute iudicare soleamus; eam enim quasi subnasci arbitratur Muellerus (pg. 183) „tacita elegantiae lege", „legitimam" vero praeter penthemimeren solam esse semiseptenariam. At illam quod Terentianus Diomedes omittunt, horum auctores a Graecis pendent; is autem eam respexit quo quid rei esset nemo melius scire poterat, poeta Ausonius in praefatione ad centonem suum nuptialem. Quo loco quamvis difficili et haud dubie corrupto[6]) aperte tamen distinctio „post

1) vide W. Christ, Metrik der Griechen u. Römer pg. 183 sq.

2) de re metrica pg. 184 sq.

3) Varro autem in disciplinarum libris si teste Gellio (N. A. XVIII, 15) observasse se dixit in hexametro quod omni modo quintus semipes verbum finiret, non ideo formam II aut III damnavit, id quod ipsius saturae demonstrant, sed eas quibus ibidem abstinuit, quartam dico quintam sextam quas mox paucis illustrabimus.

4) Christius Diomedem quod dicit non adscripsisse Latinis sectionem post tertium trochaeum (pg. 187), error hic est calami.

5) L. Muellerus pg. 193; Christius pg. 187 et 194.

6) Ita fere Ausonius scripsit: Diffunditur autem per caesuras omnes quas recipit versus heroicus, convenire ut possit aut penthemimeres cum reliquo anapaesto, aut trochaice cum posteriore segmento, aut septem semipedes cum anapaestico chorico, aut *parvulum initium cum toto* post dactylum atque semipedem quidquid restat hexametro.

dactylum et semipedem" inter eas habetur quas recipiat versus heroicus. Ceterum fatendum Ausonium a solita grammaticorum enumeratione noluisse secedere etiamsi non congruebat cum re: nempe in centonis opusculo componendo non nisi penthemimeri et hephthemimeri et trithemimeri utitur [1]), praefanti tamen trochaice (bene enim hoc pro feminino accepit Elias Vinetus) non videbatur premenda silentio. Denique inter decem exempla quibus ab Ausonio in centone per trithemimeren frustula Vergiliana separata sunt sive mavis copulata, in tribus tantum accedit semiquinaria, reliquorum aut apud Vergilium fuerat aut est apud Ausonium species tripartita.

Duabus rebus vis etiam huius incisionis indicatur [2]); alteram tangit Muellerus pg. 212, de alterā verba quantum video nemo fecit. Scilicet vitavit iam Ennius ne in formis II et III primus pes uno vocabulo expleretur et quasi seiungeretur dactylico nedum spondiaco (idem semiquinariae gratia in secundo pede odiosum fuisse dudum animadversum est), si quidem inter 40 eius exempla non vidi peccari nisi

1) Quod vero semel etiam sic versum conflavit: Ante oculos interque manus sunt | mitia poma (Aeneis II, 311. Bucol. I, 80), semel sic: Et sellam | et pictum croceo velamen acantho (Aen. I, 334. 711), de eo antea Paulum monere supersedit. Sed enim etiam legi illi qua „duos iunctim locare ineptum est" non ubique obsecutus est Ausonius. Videbitur igitur alius praecepta repetiisse. In sequentibus quod rem geometricam attingit, scis eam iam a Varrone ad hexametricam artem adplicatam esse (Gell. 18, 15) et quidem Ritschelio iudice (Quaest. Varron. pg. 31) in disciplinarum libro IV qui erat de geometria.

2) Falso autem Muellerus pg. 188 vim semiseptenariae productione corroborare studet brevis vocalis; tale enim etiam in secundariis caesuris accidere notissimum est (Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto. Seu mollis violae seu languentis hyacinthi) debeturque id potius impetu ictus metrici opprimentis pedestrem (cf. pg. 11 adnot. 2); alioquin etiam trithemimeri suppetias ferrem hoc versu: Pectoribus inhians spirantia consulit exta; similibus.

in v. 262 et in v. 103 si vera haec lectio est: Virginis nam sibi quisque domi Romanus habet sas. Excusabilior v. 565, incertus v. 405. Vide quam bene etiam haec caesura rixae inserviat accentuum.

Alterum hoc: collocatio enim verborum si in pentametris talibus non casui debetur

Pressaque veloci candida musta pede
Garrulus in dominae ludere verna sinu
Iactat odoratos vota per Armenios [1])

similisque res est in hexametro bipartito

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis

de quo plura vide infra pg. 50, hoc est si clausulae ante caesuras primarias conformari amant derigique ad totius metri clausulam eo quod quae per rem grammaticam una sunt in haec loca distribuuntur efficiunturque haud raro membra homoioteleuta — num hoc magis in hanc speciem cadit

Impulerat | ferro Argolicas | foedare latebras

quam in hasce

Infandum | regina iubes | renovare dolorem
Inde toro | pater Aeneas | sic orsus ab alto?

Etiam talia occurrunt

Hunc laetum | Tyriisque diem | Troiaque profectis

(Esse velis. Vrgl. A. I, 732)

Membra quatit | gelidusque coit | formidine sanguis;

etiam talia per duos versus distributa: Miserere laborum

Tantorum, | miserere animi, | non digna ferentis

(Vrgl. A. II, 143 sq.)

Sed premit inventas non inventura latentis
Illa feras, | quae Petroniis bene gloria constat (Grati v. 205 sq.).

Apponamus ne numeros desideres in Properti libro tertio et quinto computatis, triginta quidem fere trimembres versus exstare in quibus non nisi sensus aliquo interstitio

---

1) Haec primus pensitavit Lachmannus ad Propertium pg. 23.

duplex caesura fulciatur, 33 vero in quibus hac quam illustravimus collocatione verborum; interque hos 33 viciens cum trithemimeri artificium hoc participatur, viciens octiens cum hephthemimeri, cum ter ad similitudinem versuum medii aevi trininorum utraque concinit cum pede ultimo (III, 32, 33. V, 1, 31. 7, 63)[1]. Iam apud Ennium artem curari eandem docent exempla 52. 110. 277. 233. 495; prope accedunt 280. 248; non displicent nisi vv. 250 et 424 — ita ut fere in altero quoque exemplo apud Ennium valeat hac in re etiam trithemimeres.

Eidem semiternariae — iam enim venia verbo erit — munus aliquod esse videtur iis in versibus ubi graecam diximus regnare incisionem post tertium trochaeum. Ad hanc enim sicut potest accedere semiseptenaria hunc in modum

Diripere excussosque | iubet | laxare rudentis (IV) —

atque talia non aliena esse ab elegantissimis monstravit Muellerus quamquam perverse in iis autumat praevalere masculam caesuram[2]) — haud secus tamen illa deficiente accedit semiternaria hunc in modum

Hinc Drepani | me portus | et inlaetabilis ora (V).

Atque hoc legis vice haberi facile pervidere est. Namque iam Ennius cum deciens trochaicam sine hephthemimeri exhibeat, bis tantum (207. 476) trithemimeron non supponit. Itaque huiusmodi hexameter

Et graviora rependit | iniquis pensa quasillis (VI)

odiosus spernitur a nobilioribus nisi singulare quid sono

1) Undecim autem vv. minus acute distinxit Propertius quorum quattuor ad graecanicam formam inclinant.

2) Neque enim video in hoc Vergili versu: Addam cerea pruna | honos erit huic quoque pomo quoniam accentus inter se non litigant | quomodo nisi per caesuram primariam graecanicam explicari possit hiatus. Quod vero legitur in Catullo: Qua rex tempestate novo | auctus | hymenaeo, quinta arsi probatur etiam in quarta violentiam valere ictus metrici; cf. pg. 9 adnot. 2.

depicturis; ceterum in eo, si quid omnino, semipedem octavum aequo iure ac quartum culpabis ab antecedente non diremptum. Ne vero exempla abscondam omittendi sunt infimae notae poetae Lucilius Cicero (apud hunc septiens forma VI), neque diligentior Lucretius (qui licet in quinto libro quater tantum exhibeat f. VI, at f. V viciens octiens, tamen alibi peius egit: in libro VI forma sexta undeciens, in libro I septiens — neque in hac sola re Lucretium ab Ennio vinci posthac satis comparebit). Bonus hic Acci hexameter: Calones famulique metallique caculaeque. Catullus bis legem migravit [1]; quintae autem formae adscripserim versum 109 carminis 64 qui in Veronensi ita exstat: Prona cadit lateque tumieius obvia frangens. Male haec secundum Lachmannum legi solent adornata; pinus enim si dicitur prona cadere late quast impetus obvia frangens, nimium in his artificiosi vixque quod possit intellegi; que autem quoniam traditur ut copulet frangens et prona postulo. Haec fere erant Catulli: Illa procul radicitus exturbata Prona cadit lateque *ruineis* obvia frangens [2]. Ruinas enim attribui cadenti qui noverit poetarum

1) In vv. 64, 218. 232. 395. 68, 89 nimirum duplex caesura statuenda est.

2) Turbavit librarium diphthongus ei quod idem accidit c. 66 v. 59. Hic enim unice veram Haupti coniecturam Arduei pro Hidiiuen codicum plerisque displicuisse doleo. Certe H errore facillimo ex A maiuscula nascitur hastis obliquis in capite parum confixis; sic nuper in Lactanti qui fertur de ave Phoenice carminis v. 133 Ritschelius ingeniose ex Harum elicuit Alarum, ubi in hac lectione acquiesco: Alarum pennas insigne est desuper Iris, modo post Iris interpungatur (de Iride cf. e. g. Auson. Mos. 111. Claudian. Epigr. 10); idem mendum in v. 28 eiusdem carminis, quem qui nuper tractavit Goetzius ignorabat exprimi tritissimum locum Vergili (A. VI 274 sqq.) repetitum iam a Silio (XIII, 579 sqq.). Comparato autem Vergilio evincitur sub metus non posse subesse nomen; enim vero quoniam et in praecedenti disticho et in subsequenti verbum (adit, abest) exstat, ita scribo: Nec scelus in-

usum non mirabitur. Sensum indicaverat Froehlichius ita: prona cadit ramis late quaeque obvia frangens. Quaecunvis vero monstrum illud verbi de quo nuper Vossio Baehrensius credidit credenti relinquo.

Parum curiose rem gessit Propertius apud quem ter forma VI, quater forma V. Iam vero Horati in primo libro Saturarum viciens quater haec occurrit, illa ter; item in altero libro illa semel, in Epistolis I, 1—13 et 17—20 ter, in Epistola ad Pisones ter, at trithemimeres additur ibidem sive deciens bis sive deciens sexiens sive undeviciens. (Simul attendas quantopere commodus lassusque in Arte Poetica Horatius lassius hoc atque commodius heroici versus genus praeamaverit). Vergilius cum in Eclogis aberraverit bis (V 52. X 60), ubi septies post secundam arsin verba separantur, omnia sine macula habes in Georgicis viginti exempla [1]); in Aeneide consulto effectam esse mollitiem hanc non infitiaberis: Spargens humida mella soporiferumque papaver, neque minus pulchre pancti versus libri quinti 591 et 856 [2]); ceterum ad schema quintum 30 ibidem metra composita invenies, apud Ovidium 25 [3]), at unum tantum ad sextum (A. A. I, 293). Neque enim eximendus versus est Heroid. VII, 17 quem parum feliciter in

---

fandum nec opum vesana cupido *Huc meat* aut ardens caedis amore furor. Ut vero ad Hauptianam coniecturam revertar, ni fallor succurrit aliud. Nimirum vario in lumine per se humile vel absurdum est iuxta verbum figendi; potest enim quid in caelo figi velut in cruce, in postibus, velut mucro in homine, non potest in lumine figi corona. Quare praefero haec: *Ardui* ibi vario ne solum in *culmine* caeli . . . . . Fixa corona foret: ita ut et coma et corona a culmine hominis in culmen caeli dicantur transponi. Ad varium cf. Ovid. Met. II, 193, ad culmen Cic. Arat. 26; Manil. I, 150; Nigid. ap. Serv. Georg. I, 218.

1) Synaloephe caesurae non obest Vrgl. G. IV, 349. Hor. Epod. 15, 9.

2) Aen. IV, 316 ex Catulli 64, 141 desumptum.

3) Sine Halieuticis 24.

Musei Rhenani tomo 17 ita constitui video: alter amor tibi erit captandus et altera Dido. Optime se habet quae facillime ex traditis literis extricata olim est lectio: alter amor tibi restat habendus et altera Dido, modo senseris interrogationem hanc esse, non affirmationem; neque habendus sensu caret, modo usum memineris latinum quo habere feminam dicitur eius qui utitur amore (vide interpretes ad Terenti Andr. I, 1, 58); itaque indignantis erat descendere ad ea quae adiacent volgari. Quoniam vero molestissimum est amphibrachy verbum habendus vereor ne etiam hic Guelferbitanus liber sequendus sit ita scribentibus: Alter amor tibi restat? habenda est altera Dido? Quamque iterum fallas altera danda fides?

Addo Manilium Petronium Homerum Latinum Calpurnium abstinuisse a sexta structura, item scriptores Ciris et Culicis et Moreti, Gratium (vide 240), Persium, Valerium Flaccum (vide III, 191), Silium per aliquot quos examinavi libros, Nemesianum, Ausonium in Mosella; atque etiam in Aetna carminis v. 53 Hauptio fere adstipulandum erit. Peccatum est singulis versibus apud Dirarum scriptorem, Columellam, Martialem, apudque Germanicum in Phaenomenon Arateorum v. 262, ubi expectabam: Electra Meropeque Celaenoque Alcyoneque; sed enim animadvertendum est in genere potissimum V et VI novi aliquid et violenti inferre amavisse nonnullos poetas in dipodiam finalem, quales sunt versus Vergili Ecl. 2, 24. 10, 12. Georg. I, 437. II 84. III 255. IV 463. Aen. III 12 (= VIII 679). IV 316. IX 574. 767. X 749; Germanici fere omnes 23. 262. 312. 442. 508; cf. Ovidi Met. IV 535. XV 450.

Apparet in graecanico hexametro post tertium trochaeum dirempto Romanos ne desiderarent latinae indolis caesuram quasi fulturam substruxisse aut semiternariam aut semiseptenariam, errantque qui schema quod quartum signavimus quinto magis legitimum

arbitrantur. Licet enim quartum apud aetatis argenteae imprimis scriptores praevaluerit (tamen Martiali non placuit nisi quintum) atque iam in carminum collectione Tibulliana excluserit aemulum, tamen Ovidius artis iudex subtilissimus eam omnino respuit hexametri speciem, in quinta quem satis vidimus esse frequentem. Nam de Halieuticon versibus 11 et 104 suo loco disputabitur; de Metam. XV 504 credendum est Heinsi codicibus plerisque quibuscum Havniensis facit apud Riesium haec praebens: Damnavit meritumque nihil pater eicit urbe. Vix enim ab urbe eicere latinae linguae aptum est; damnavit exquisite pro accusavit usurpatur; denique nihil meritus componendum est cum iis quae dicit Aeneas in Heroidis VII v. 69: Quid? tanti es? Totum merui. Concedite! Ita enim hunc locum constituerim. Ceterum vide Riesium ad Transformationum versum[1]).

Restat ut commemorem etiam in forma V sicut in III et II non omnino deese ubi primus pes neglegenter uno vocabulo compleatur dactylico, hunc in modum: Aspicit | hos ut forte pependerat aethere mater. Spondiacum vero summopere iniucundum praeter inexercitatissimos Catullum (116 v. 7) et Ciceronem Iliadem vertentem (de Divin. II § 63 v. 24) non inveni nisi apud Petronium (cp. 119 v. 24).

Iam, tandem ut revertamur ad formas III et II, his omnibus de trithemimeri perpensis tripartitas eas esse affirmabis sedulo. Quae tres particulae non indignum est quod moneatur quam suaviter inter se conveniant; adaugentur enim ambitu ita ut a triplici semipede ad quadruplum indeque aequo gradu ad quinquiplicatum provehantur ascenditurque hanc per progressionem apud elegiacos ad id ipsum quantitatis quo pentametri constat pars utraque, ita

---

1) Libri VI Metam. v. 201 Merkeli certe lectionem hanc probabit nemo: Ite; satisque superque | sacri | ; laurumque capillis Ponite. Libri: Ite satis propere sacris eqs. Exspecto: *Infectis* proper*ate* sacris, laurumque capillis Ponite. Pergitur enim: Deponunt *infecta*que sacra relinquunt.

ut hĭc qui trimeter dactylicus catalecticus est non esse videatur nisi choricus anapaesticus qui praecesserat transformatus. Tibullo igitur si nemo crebrius per quinque membra stropham disticham disposuit [1]) iam percipitur quid ei causae subfuerit. Pulcher enim Ovidius sit, dulcis aestimatur Tibullus.

Ennius vero unde tripartita haec assumere potuerit nisi e graeco exemplo non video. Grăvior de semiquinariae lege quaestio nascitur [2]). Sed enim Saturnium versum quo is utebatur qui „non dicti studiosus erat" arte sua expulit Ennius; Saturnius basi praecisa par hexametro est sinistraque parte rixam accentuum ostendere solet; nulla autem in re metrica tam strenue observatur lex quam hae duae quibus Saturnii caput trochaeo, caput hexametri bipartiti anapaesto terminatur. Illius igitur duplicem clausulam trochaicam exosus Ennius ante thesin tertiam metrum divellit accentuumque ideo legem stabilivit.

Denique intimam naturam expressuri caesurarum latini hexametri ad imagines refugiamus necesse est et translationes. Neque enim non oculis audire sibi videbantur qui fundere carmen poetam dicebant fluitareque carmen ludenti versu versumque esse liquidum. Nobis quoque si versui aliquid tribuere licet torrentis qui primum infestis scopulis coercitus laboriose undas volvat et impetu arduo, mox tamen subito fractus desiliat placidusque exinde laeta prata perambulet, sensisse fortasse videbimur cur laboriose semper etiam sermo pugnasse debeat antequam frangatur incisione. Sequitur ut in formis II et III vis crescat caesurarum cum

1) Vide pg. 48 adnot. 2.

2) Semper recordemur electionis libertatem interminatam Ennio fuisse. Cui si species hexametri magis placuisset haec quam non semel expressit: Poste recumbite vestraque pectora pellite tonsis, carmina qualia medium aevum exercebat Roma accepisset; velut in carmine „Omne Punctum" saeculi XIV cumulantur huius exempli similia: Non pete grandia largave prandia lite repleta.

ambitu metrico quo praeparantur. Eadem imagine ad stropham elegiacorum adplicata pro epico versu aeternum fluenti aqua cernitur undique intercepta ripis quippe cum in fine iterum semper quasi surgat oratio frangente caesura.

Sed inania captare videor. Tamen ad rem historicam nequeo procedere antea quam in observatione alia simus morati. Atque ut ab exemplo singulari proficiscamur, scriptor Culicis postquam se Gigantas Lapithas Xerxen canturum esse negavit quaeque magni oris essent, in v. 35 ita apud Hauptium pergit:

Molli sed tenuis decurrens carmine versus
Viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet.

Itaque poeta a rebus ponderosis ad levem gracilemque transiens versum formavit quo nihil cogitari potest ponderosius tristiusque! Quid vero? in codicibus meri leguntur dactyli iucundissime fluentes hi

Mollia sed tenui pede currere carmina versu eqs.

Haec tolli nolo per coniecturam quamvis sagacem. Sed enim Hauptius cum verissime versus pro ablativo restituit (quod voce gaudet probatur subestque fortasse lectioni excerptorum Gronovianorum) non satis possum mirari quod Heinsium secutus pede ablativum tangere ausus est per se optimum. Neque enim tantum valet similitudo versus Calpurni IV, 152. Oratio autem fluens si currere dicebatur, cur non licuit carmini? Modo Martialis versum conferas XI, 90, 1. Porro quoniam tenuitas maius etiam in poeta quam in oratore opprobrium est, tenuis versus dici non poterat; cavendum enim, ne de metrico pede cogitemus si currere bucolicus versus dicitur tenui pede et gracili[1]). Itaque praeter versus nihil equidem mutandum est atque sic interpretandus locus: versus gaudet duce Phoebo ludere carmina apta suis viribus satisque mollia in quibus currat tenui pede[2]); pendetque

1) De his adiectivis cf. versus 1 et 2.

2) Nam etiam mollia carmina aeque ac versus huius sen-

infinitivus currere ab adiectivo mollia, cuius rei similia ut non sunt ignota ita Gratium placet adferre semper exquisita loquentem cuius versus 522 ita legendus est: Sterilis quodcunque remisit Terra *siti* tenuesque sitim producere rivi[1]); hoc est: terra sterilis quodcunque remisit siti remisit itemque rivi satis tenues quibus sitis producatur (de quodcunque cf. Properti III 21, 19).

Artificium est igitur in Culicis v. 35 ut dactylis pingatur carmen tenui currens pede. Idem in propatulo est appetiisse poetam cum v. 17 scriberet sic: Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda. Itaque vix iure huic quasi rudiori rudiora adscribere voluit Ribbeckius.

Iam vero cum dactylis his iterum comparato versu Hauptiano fore spero ut sentiatur invenustum stare atque iners in pede primo verbum spondiacum quod cum fine pedis finitur consentientibus accentibus. Haud secus displicebit pes quartus spondiacus si antecedit caesurae cui nomen bucolicae. Nimirum pingniora spondiaca sunt fluuntque lente atque tum demum enrythmi redolebunt aliquid si in turbinem trahuntur proelii accentuum. Qua de causa semiseptenaria eo usque placuit poetis elegantioribus ut saepius quam in altero quoque metro eam usurparent (Ovidi in Metam. l. II 502 exempla, Properti in l. I 233. II 108. III 323. IV 293. V 286) plerumque comitante semiquinaria. Atque hac in forma

Ilium et omnis humo | fumat | Neptunia Troia

iterum ratio habenda est responsionis arithmeticae; si quidem per quinque semipedes orditur metrum clauditurque per quinque, uno inter aequas partes anapaesto intercalato[2]). Atque huius

---

tentiae subiectum esse constituendumque asyndeton nimis durum ea maxime de causa non commendavi, quia mollia carmina sua nunc demum esse dicit poeta, ita ut necessario non subiecti, sed praedicati locum mollia obtinere debeat.

1) Cod. Vindob.: Terra sui tenuesque sitis.

2) In huiusmodi versibus quod interpungere sententiam post

quarti pedis condicionis gnari iam olim fuerunt librarii qui transponendo plenus cum languet amator scribebant pro cum plenus languet amator similia; in quam rem cum post Bentleium (ad Hor. A. P. 260) et Cuningamium nimis temere gerentem (Hor. animadv. pg. 34 sqq.) Meinekius attenderit (ed. Horati alterius praef. pg. XXIII), singula tamen non aequo Jove videtur iudicare [1]. De primo pede aliquid certe sensit Muellerus (pg. 209); Lehrsius autem quae in Quaestionibus Epicis pg. 305 de caesura post primum dactylum cum maiore pausa facta subtiliter monuit, non ita magno cum fructu latius extendi video.

Iam me qui sequitur exspectabit et per totam litterarum latinarum historiam molestias illas formarum spondiacarum ab inelegantioribus magis admissa esse, magis vitata ab optimis poetis, ita ut inter nobiliores certe fuerit etiam aliqua progressionis per saecula continuatio, et poetarum unum quemque hac in re certam suam secutum esse consuetudinem, qua suum ingenium expresserit facileque ab aliis internoscatur, nisi forte ipsum per certos gradus emendasse artem suam comprobetur.

Quocum optime quaestio coniungetur de usu hexametri tripartiti (in quo non potest videlicet incidi post quartum pedem, non solet post primum); hic enim quia vividiorem animum spirat minusque simplicem, versum semel incisum si comparas, ab alio rarius, ab alio frequentius carminibus intexatur necesse est.

Denique ipsius tripartiti hexametri quoniam species III speciem II facile superat elegantia, etiam in secundae

---

septem semipedes in deliciis erat (cf. Klapp Bem. über die Hephthem. pg. 5), vim secundariae caesurae cum primaria aequare voluerunt poetae.

1) Nam in Horati Sat. I, 1 v. 28 litigantes potius accentus duritiem produnt et labores; contra Sat. I, 4, 20 mollia, non ardua illustrari ipsa poetae verba confirmant.

apud singulos frequentiam inquirendum erit; cur enim haec sonet ingratum, non male legitur explanatum apud Muellerum, in tertia autem perplacet proportio, qua per versum distribuitur rixa accentuum metrici atque grammatici. Cum enim in schemate hoc

6	5	3	10
— ◡ ◡ — ‖	◡ ◡ — ◡ |	◡ — ‖	◡ ◡ — ◡ ◡ — —

obtineat rixa moras primores sex, absit ab ultimis decem, media pars inter utramque ita intercedit, ut primum quidem (5) pacem accentuum finalem ipso dimidio numero morarum incipiat praeparetque, tum vero (3) rixam primorem resuscitet finiatque dimidio itidem morarum numero.

Ut vero ipsos poetas adeamus, ad numeros colligendos iis notis utemur, ut H. tr. hexametrum tripartitum F II formam secundam F III formam tertiam significet, PPS et PQS primum pedem et quartum pedem ante incisionem spondiacum, denique PPD et PQD item dactylicum.

Itaque **Ennius** in Annalibus et **Lucilius** in fragmentis apud Muellerum per libros IV—VIII. X. XI dispositis exhibent semel

	PPS	PPD	PQS	H. tr.	F II	F II:F III
(Ennius) in vv.	$6^1/_{20}$ (81) [1]	$8^3/_{10}$ (59)	$6^{15}/_{16}$ (78)	$13^1/_5$ (40)	48 (11)	$1:2^7/_{11}$
(Lucilius) „ „	$8^2/_{11}$ (22) [2]	9 (20)	$6^1/_4$ (32)	$9^1/_2$ (20)	$17^1/_4$ (11)	$1^2/_9:1$

Frequentior igitur apud Lucilium duplex caesura, simul tamen ab eodem liberae reipublicae poetarum vitium coeptat quo secundae quam tertiae structurae plus spatii conceditur.

Namque **Lucretius** cedro primus ab antiquitate dignus habitus cum versum quemque undecimum tripartito dividat (l. I $11^2/_{11}$; V $11^3/_4$; VI $10^5/_6$), haec fere inter utramque proportio efficitur: F II:F III = 2:1. Nam F II in 65 vv.

---

1) Numeri uncis inclusi qui apponuntur plenam summam exemplorum indicant.

2) Non est igitur fragmentum IV 10 a Muellero signatum cur non uno versu comprehendamus: Legem vitemus Licini.

(l. I) vel 82 (V) vel 74 (VI) invenitur. Ciceronem etiam turpiorem esse non miraberis, cuius quidem H. tr. in $21^2/_3$ tantum vv. unus est, at formae II exempla 28, F III 9; itaque illa triplo spissior. At Varro in Menippeis non novit nisi F II quam bis vidi per 35 eius hexametros. Eadem unica est (et quidem singulis exemplis) et inter Acci novem qui supersunt et in Q. Catuli epigrammate (Gelli N. A. 19, 9) et in uno illo Laevi fragmento heroico, si recte huic tribuitur quod sub Livi nomine citatur a Macrobio VI, 5, 10: tu qui permensus ponti maria alta Velivola. Verus tamen poeta Velivoli scribere debebat quandoquidem nunc pontus eo caret ornamento quo maria luxuriant; Vergilio librarius plus iusto verba adsimilavit. Ablativum velivola Muellerus reddidit. Superest Hosti fragmentum turpissimum (Fest. p. 356 M.) et cuius ars si Festi codici fidem haberemus Ennio melius antecederet quam subsequeretur; sed enim, reliqua ut dubia sint, certe voce violabis versus prior finiendus erit; neque enim volabis traditur. Facilius versibus succurres apud Macrob. sat. VI, 5 servatis, ita:

Dia Minerva simul, *simul* [1]) autem invictus Apollo
Arceat arquitenens Latonius.

Precationem cumulata Apollinis epitheta indicant.

Iam hac in re vide quam praestent neoterici. Catullus enim praeter 108, 1 et 116, 1 solam F III toleravit [2]) nisi quod in epyllio eius (c. 64) sexiens F II exstat (semel in 66 vv.), at undeviciens ibidem F III: itaque F III triplo saepius quam F II. Item abstinuerunt a F II Sueius per 10 vv., Q. Cicero, Varro Atacinus, Furius Bibaculus [3]); apud

1) simul ut ad manum est, ita et Hauptium coniecisse lego et proposuit Bergkius in Philologi tom. XVI pg. 631 adnot.

2) Nam 90, 1 penthemimeren post ex statuo, quia genitivi sequuntur, non ablativus.

3) Egnatius apud Macrob. VI, 5, 2 incertum est quid scripserit.

Calvum et Cinnam utraque abest; Cornificius in Glauco (Macrob. Sat. VI 5, 13) admisit FII.

De spondiacis verbis quaerenti in quarto pede inde a Lucretio mirabilis omnino inertia apparebit. Is enim fere in tertio quoque hexametro PQS praebet: l. I unum in $3^{4}/_{7}$ vv. (308 ex.)[1], II in $3^{2}/_{3}$ (297), V in $3^{3}/_{5}$ (401), VI in $3^{9}/_{10}$ [2]), in quae Varronis Menippearum 9 exempla quadrant quorum unum in $3^{8}/_{9}$ vv. [3]). Atque his Catullus vel inertior[4]) in cuius carmine 64 PQS semel est inter $2^{1}/_{7}$ vv. (185 ex.)! Quam tantam et quasi exanimantem leporis omnis varietatisque inopiam aequiparavit **M. Cicero** apud quem in versionibus Homericis (adiunctis illis versibus qui sunt Tusc. I, 115; 117; de Div. II, 115; 133) PQS semel in $2^{1}/_{2}$ vv., in Arateis Phaenomenis in $2^{1}/_{2}$, in reliquis in $2^{3}/_{4}$. Item apud Quintum fratrem (ed. Buecheler. pg. 68) in $2^{1}/_{2}$.

Ceterum hi numeri adponendi: semel exstat

	PPS	PPD	PQD
in Lucreti l. I in vv.	$18^{1}/_{2}$ (60)[5])	$7^{2}/_{3}$ (52)[6])	$11^{6}/_{7}$
II	$25^{1}/_{7}$ (43)	$6^{11}/_{13}$(158)	$10^{1}/_{2}$
III	$28^{6}/_{7}$ (35)	—	—
V	$25^{6}/_{7}$ (56)	—	—
VI	29 (14)	$5^{5}/_{7}$ (70)	15
Cic. Arat. Phaenom.	$10^{1}/_{3}$ (51)	$8^{1}/_{4}$ (64)	$27^{7}/_{10}$
Reliqua	$23^{5}/_{8}$ (8)	$4^{3}/_{7}$ (43)	38
Catulli c. 64	28 (16)	5 (77)	17

Sicuti igitur levem forsitan progressum agnoveris in

1) Ac ne quid casui tribuas, inter 500 primos vv. unum esse adpono in $3^{3}/_{5}$ (131 exempla).

2) Sexti libri non nisi 400 primos vv. in calculo posui.

3) Nam de versu 127, 2 Buechelero credidi.

4) Aliquid causae in eo est, quod hac demum aetate venia defecit abiciendae s. finalis.

5) Inter 500 primos vv. in 17 (30 ex.).

6) Ad PPD libri I 400 tantum primores hexametros contuli.

Lucretio PPS rarescente, increbrescente PPD, ita Cicero Phaenomena antea vertit quam consulatum suum cecinit temptavitve Homerum.

Nam etiam singulis poetis augeri artem et expoliri luculentum statim addi potest documentum, quod qui Diras scripsit (anno 713) PQS posuit semel in $3^1/_5$, PPS in $12^5/_8$, idem tamen in Lydia PQS semel in 6, PPS in $13^1/_3$; quocum conspirat quod per Dirarum 103 vv. H. tr. non occurrit nisi semel (et quidem FII), at per Lydiae 80 quater FIII, FII semel. Denique formae V et VI non nisi in Diris. Itaque Naekium in Valerio Catone pg. 144 (cf. pg. 250 sq.) errare Lydiam ratum ante Diras compositam esse iure adseveravit Ribbeckius (Append. Vergil. pg. 60). Idem quod pro interea in v. 7 aperte corrupto proposuit intervos magis hoc placebit, si verba vos nunc adridet ocellis versui 4 reddideris, vobis mea Lydia ludit versui 5.

Adsero Varronis Reatini in hexametris quos prosae orationi immiscuit PPS frequentiae ascendisse fastigium quippe cuius novem exempla sint aut in $3^8/_9$ vv. unum! Conferre etiam libeat epigramma Plauti quod in libro de poetis Varro exhibuerat, apud Gellium I, 24, 3. Quodsi componis quaecunque de hoc Varrone enotavimus, Ritschelio non concedes „divitem eum esse hexametris optimis“ (Mus. Rhen. tom. VI pg. 491).

Sed his omnibus dignior **Catullus** est cuius singulari cura metra rimemur, quippe hic artis Vergilium praeformantis solus fere et unus testis quamvis inter sodales suos fortasse pessimus. Constituitur autem calculus hic: semel exstat

	PPS	PPD	PQS	H. tr.	FII	FII:FIII
C. 64: in vv.	28	5	$2^1/_7$	$15^7/_8$	$49^1/_2$	$1:3^3/_8$
67	12	12	$2^2/_3$	24	—	—
68[a]	20	5	$2^2/_3$	—	—	—
68[b] 1)	30	$6^2/_3$	$3^1/_9$	60	—	—

1) Huius vv. 92—96 excipio, quia bis idem dixisse poetam

	PPS	PPD	PQS	H. tr.	F II	FII:FIII
65 et 66	29 1/2	4	3 1/3	7 3/8	—	—
62	15(?)	6 5/9	4 1/5	6	—	—
Reliqua	13 1/2	8	4 1/3	11 1/2	80	1:7

Abicienda sunt epigrammatum corpora leviuscula quippe quae neque unius sint temporis neque singillatim prompta quidquam evincere possint. Etiam in ceteris cavendum ne iura casui imminuamus in parvis adprime numeris valenti. Si tamen de incerti temporis carminibus tabellam supra scriptam consulere licet, certe c. 62 provectioris artis videbitur esse; canora enim et cantantibus aptior [1]) exuberat caesura duplex semper insuper recurrens in Hymenaei invocatione; convenit quod in hoc uno inter maiora carmina hexametri formae IV et V et VI aeque spernuntur. Carmina 68a et b, 65, 66 annorum fere sunt 692—694 a. u. [2]); eis antecessisse credo c. 64; in hoc enim uno F II [3]) creberrimusque hic item

mihi non possum persuadere. Ad repetitionem invitavit verborum abstulit et attulit similitudo, versusque 93 ab interpolatore ex verbis simillimis ei misero frater adempte mihi fictus est. Scilicet ne quid dicam de sententia ultra ipsius Catulli modum vagante, molestissima est frater vox ter posita, intolerabile sepulta intercedens inter v. 89 et v. 97; nempe v. 97 sq. quasi argumentans argute sepulchrum ceneremque repetit ex v. 89 sq., sepeliendique ideo mentio eum non poterat nisi sequi. Praeterea in v. 91 nunc desideratur Helenae temporibus quod oppositum sit; id certe ipso versu 97 adportatur. Denique strophica carminis dispositio quam Usenerus detexit demptis illis versibus ni fallor firmabitur; tendunt enim bis septena disticha et a v. 73 ad 86 et ab 87 ad 104.

1) Eadem abest fere a Parcarum carmine (64, 323 sqq.) fortasse austeritatis gratia.

2) Nisi forte cum Haasio facis de vv. 65, 9—14.

3) Duo quae restant in epigr. exempla non minus adolescentis videntur; nam c. 108 Schwabius (Cat. I p. 318 sq.) splendide anni esse coniecit 689. In 116 autem praeter F II in v. 1 priscam habes apocopen literae s, in v. 7 hexametri F V spondiaco verbo incipientem (id quod castigavimus supra), denique versum 3 totum pessime repletum spondeis; haec parum secum reputavit Schwabius pg. 101 sq.

PQS quamquam ei viciens quinquiens obstabat duplex incisio. Fortasse etiam c. 67 Veronae lusit poeta[1]). Denique si in eo offendis quod inter 59 versus carmen 62 PPS quater exhibet, et v. 17 quare fortasse eximendum erit tanquam duplex vocabulum et Hymen v. 5 veniam paratam habet ex imitatione Graecorum.

Haec de Catullo; quem vinci a suae aetatis poetis suique generis C. Helvi Cinnae certe 14 hexametri testari videntur quo aliquanto inferior Calvos; apud illum enim PQS semel leges; apud hunc ter, hoc est semel inter 4 vv.; PPS in Calvo semel inter 13 exempla. Verba hoc loco faciam necesse est de fragmento Calvi apud Probum pg. 1394 P. tradito quod edi solet: Frigida iam celeri peragrata Borysthenis ora. Sed enim haec lectio Parrhasi est cuius nulla omnino auctoritas tribui potest editioni[2]); haec vero in Vindobonensi: Frigida iam celeris vergatar. uistinis ora. Atque speciosa fortasse, non tamen vera excogitasse Parrhasium cum eo arguo, quod Borysthenis pro genitivo unus quisque accipere debebat, etiamsi non urbem Borysthenida vel insulam, sed regionem aliquam audiisse novissemus (neque igitur adferri possunt Illyris ora, Sarmatis ora qualia habet Ovidius); sed nominativum generis feminini brevique is syllaba finitum exemplo firmare voluerat grammaticus; tum vero leviter agere censeo apud huius temporis poetam qui post quartum trochaeum novum incipere per coniecturam iubeat vocabulum. Atque ut tandem in conspectum congregentur illud qui oderint, sicut vix casu reliquias omnes integras habemus Cinnae Calvi Bibaculi Cornifici Varronisque imprimis Atacini (cuius 48 hexametri supersunt), ita Menippearum scriptor nominandus, ita Furius Antias, ita cum Quinto fratre M. Cicero uno hoc versu lapsus: Hu-

1) C. 64 quod ex scriptorum praecipue lectione ortum est, Veronae Valerio magna scriptorum copia erat (vide 68, 33), Romam una ex multis capsula eum sequebatur.

2) Vide Keili Grammat. Lat. tom. IV praef. pg. IX sq.

midus inde loci collucet Aquarius orbi (nimirum Aquarius vocabulum praeter genitivum non nisi violato metro adhibebis), ita Horatius in Epodon 75 versibus inque carminum libro primo (nam in quarti demum carmine 7 legem migravit), porro Lygdamus carminisque scriptor in Vergiliano Catalepton XI. Quid quod idem de Priapeis valet praeter c. 3 quod Ovidio datur a Seneca et c. 68 (v. 31), quod ideo a reliquis separabimus[1])! Neque dissentit Catullus; quae enim officiunt carmina 84 (v. 5), 101 (v. 1), 76 (v. 1) in partem eius vitae posteriorem cadunt; carminisque 68 v. 49 graeci vocabuli habebit veniam. Iam vero his observatis novum versui Calviano remedium indagandum erit; tamen varia mea commendare non audeo conamina; hoc unum suasisse volo, ex litteris istinis ut nominativum vel vocativum efficias nominis Inachis[2]).

Denique Atacini Varronis eximiam agnoscamus elegantiam qui cum PPS semel in 23 vv., PPD in $5^1/_9$, PQS in $11^1/_2$, F III in 24 praebeat, sui temporis Ovidius nuncupandus est. In Ephemeridis enim apud Riesium fragmento I sine dubio aut ut aut ceu ante vellera excidit.

Itaque non Catullo sed Catulli sodalibus arte successerunt Vergilius Tibullus (et quidem sicut ille Cinnae Calvoque, ita hic elegiaco fortasse Varroni); Catullo fere Propertius.

Inter Augusteae aetatis poetas antepono **Propertium**; de hoc enim monenda plura sunt. Et aliquid certe ad huius artis cognitionem per singulos libros emendatioris iam observatio fecit quae est de pentametri clausula polysyllaba deque hexametri dispondiaca in libro I magis crebra — quibus

---

1) Addi possunt vetustiores etiam elegi illi apud Gellium XIX, 9, 13; nam in Porci Licini v. primo constituendo Hauptius (in indice lect. Berol. 1866—67) bene propaginis pro ionico a maiore accepit ita: Custodes ovium, mandrae propaginis agnum.

2) Fortasse de Ius transformatione sermo erat quia fluminis memorari ora parum propabile videbitur: tum etiam plura corrupta.

novam subnectere lubet priusquam res agatur proposita, nec vero metricam. Vocum enim non ullus, non unquam similium pro nullus, nunquam usus non quidem inelegans interdum si negatio ab indefinito pronomine alio vocabulo separatur neque ideo apud Ovidium non obvius, rigidus tamen est hominisque inhabilioris si arte illa copulantur. Cuius copulationis apud Propertium quae mihi enotavi exempla iam ita vide rarescentia: In libro I: 1, 17. 30. 2, 7. 4, 25. 6, 23. 8, 21. 19, 20. 14, 23. 16, 37. 18, 18. II: 5, 27. III[1]): 12, 8. 22, 22. 26, 41. 29, 35. IV: 5, 13. 7, 35. 15, 1. V: 9, 22. (Melius habent I: 6, 21. 11, 21. 18, 12. 19, 26. III: 20, 25. 22, 14. 29, 25. IV: 2, 17. V: 11, 50; tamen rarescunt etiam haec).

De synaloepharum usu cautiore in libro V Eschenburgius egit in Observ. crit. in Prop.[2]); eundem illustravit Luetiohannes[3]), dactylorum simul numerum in IV libro et V comparans. Hic licet iure similitudinem presserit inter utrumque[4]), satis tamen elucet ex Hultgreni (Observ. metr. Pars I) tabula XIII quinti libri in pede certe primo trisyllabo formando praestantia. Sed etiam libros II III IV non infeliciter ad calculos vocari hi probant numeri. Semel exstat

---

1) Et in librorum et in carminum enumeratione Lachmanni sequor editionem alteram.

2) Profectus miro modo est a versu V, 1, 33, quem felicissime Lachmannum ita emendasse ait: Quippe suburbanae parva eminus urbe Bovillae, postea, quoniam sic et synaloephe orta sit durior et sententia ex ipsius Ritscheli iudicio plane ridicula (pg. 26 sq.), subditicium versum accusaturus! Reliqua eius argumenta levia sunt; versus autem excitatus certe sine synaloephe cum Passeratio codicibusque nonnullis ita legendus erit: Quippe suburbanae parvae minus urbe Bovillae; hoc est: Bovillae, nunc suburbanae, ipsa urbe tunc minus parvae erant.

3) Commentationes Propertianae Kiliae 1869. pg. 101 sqq.

4) Et quidem in Heimreichio refutando tam bene rem gessit ut non sit nos quod in eadem re moremur. Vide quae quam temere ille de libro V disputarit in Symbol. Philol. Bonn. pg. 674 sqq.

H.tr.	I: $19^{2}/_{3}$ (18)	II: $14^{3}/_{4}$ (12)	III: $14^{2}/_{5}$ (35)	IV: $13^{3}/_{4}$ (36)	V: $12^{8}/_{9}$ (37)[1]
PPS	I: $11^{2}/_{3}$ (33)	II: $12^{3}/_{5}$ (14)	III: $11^{1}/_{2}$ (47)	IV: $13^{1}/_{3}$ (37)	V: $24^{3}/_{4}$ (20)
PPD	I: 20 (18)	II: 12 (15)	III: 15 (34)	IV: 8 (59)	V: $5^{1}/_{2}$ (87)
PQS	I: $4^{3}/_{10}$ (82)	II: $4^{3}/_{10}$ (41)	III: $5^{1}/_{4}$ (96)	IV: $5^{1}/_{20}$ (98)	V: $5^{1}/_{8}$ (85)
PQD	I: $18^{1}/_{2}$ (18)	II: $19^{1}/_{2}$ (9)	III: $16^{1}/_{3}$ (31)	IV: $13^{2}/_{5}$ (37)	V: $11^{1}/_{8}$ (42)

Inter hexametros autem duplicis caesurae ii qui primum pedem fine vocabuli finitum exhibent ita occurrunt ut unus sit in I inter 6 H. tr.; II inter 12; III inter $8^{3}/_{4}$; IV inter $7^{3}/_{5}$, denique ex V omnino hoc vitium sit eliminatum; breviusculum autem librum II casu excellere dicendum est.

Novum addo. Sicut enim poetis non paucis iucundum visum est post quartum trochaeum incidere sermonem, ita etiam volubilius versus sonabit et aquae salientis haud absimile simul si post quintum trochaeum idem accidit, ita:

Flagrántes arás vestémque | nemusque | sacerdos;

quod artificium Ovidius nobilior repudiavit: in Amor. libro I: 2 exempla; II: 2; III: 2[2]; in Arte Am. I: 1; II: 4; III: 1; in Fast. l. IV: 1; Ep. ex Ponto II: 1; III: 3; quocum convenit Metam. l. I: 7 (unum in 111 vv.); item in reliquis, quod enumerare longum est; Vergilius tamen ad eandem accedit frequentiam quam primus toleravit Ennius: apud hunc enim unum exemplum est intra $66^{1}/_{2}$ metra, in Bucolicis Maronis intra $81^{1}/_{3}$. Plura etiam ei subnascentur qui abstinebit attentione; sicut Horatius in Epistolarum primo libro tricesimum tertium quemque versum talem reddidit, in Arte Poetica etiam decimum septimum quemque; Persius unum inter 54 vv., at Lucanus unum inter 546 (libri X) aut 436 (libri VII); Valerius Flaccus inter 142 (libri I). Denique ne desit ex nostratibus aliquis grammaticis, librum velim evolvas in quo scripsit Van Heusde Specimen in Platonem; ubi duae exstant elegiae et Hieronymi de Bosch et H. Colloti d'Escury; horum igitur ea socordia erat, ut alter in 18 hexametris

---

1) In versu V, 7, 28 agnoscenda penthemimeres.

2) In tertio enim (14, 39) quod amare iunctim legenda sunt.

quattuor, alter in 28 tria exempla praeberet, hoc est unum ambo in 6½; item Waltharius, poema decimi saeculi, unum in 28⅘ vv. Ne vero Properti obliviscamur, cum in l. I duo ponere satis habuerit exempla, postea procedit ad 1 (II) et 3 (III) atque 7 (IV) et 7 iterum (V), hoc est unum in 176½ (I), 177 (II), 126 (III), 71 (IV), 68 (V). Quid quod in capite hexametri rem non secus gessit! scilicet ut post primum simul ac secundum trochaeum dirimeret sermonem: sicuti incipit cantor Aeneidis: Arma | virumque | cano (id quod imitatus est Propertius V, 1, 69: sacra diesque canam); hoc igitur singulari cura paucos fugisse video, quippe quod ipse Ovidius in Artis Am. l. III adplicare non dubitaverit inter 34 non minus versus semel, in Metam. V inter 56½; ceterum fluctuant numeri: semel in 130, 135, 72½ (Amor. I. II. III), 96½ (Ars Am. I), 186 (Ars II), 129⅚ (Metam. I); item fere in reliquis; Vergilius in Aeneide in 98 (I), 72 (II), 90 (VI); Horatius in 72 (Epist. I), 119 (Ars Poetica); Valerius Flaccus in 142 (I), at idem in 33 (VIII) [1]). Denique Enni praecesserat unum exemplum in 63. Itaque ut rigidioris artis veteres fuerint parciores, imprimis Catullus cuius duos versus adscribo 76, 5 et 66, 61, in universum tamen hanc speciem poetae odio non persecuti ponebant ubi habebant efficacem. Atque posita est a Propertio, ut tandem coepta resumamus, in l. I semel, nusquam in II, in III ter, quater in IV, in V septiens; hoc est semel in 353 (I), 168 (III), 124 (IV), 68 (V) hexametris.

In versu IV, 22, 3 statim adnoto praetulisse me lectioni Vossi: sacrae fabricata iuvenca Cybebae Hauptianam: sacra fabr. e vite Cybebe. De III, 29, 41 iudicia discedunt; qui ex Heinsi coniectura ita adornatur: Sic ego tam sancti custodi excludor amoris. At quoniam liber Groninganus aperte interpolatus est sensu carentia qui

1) Pergere possum: Germanicus unum in 89⅜, Homerus Latinis in 134, Silius VI in 119; sed chartae parcendum est.

haec exhibet: s. e. t. sancti custode recludor amoris, proficiscendum erat a Neapolitani: custode reludor. Lachmannus cultu secludor quod temptat a literis nimis recedit; Kindscheri gustu secludor (Mus. Rhen. XVII p. 216 sq.) tacito adpono. Ablativum custode servavit Jacobius. Atque idem ego ut faciam, moveor minus ablativi exemplis illis tonsore (Hor. Ep. I, 1, 94), augure (Prop. I, 13, 13), Apolline (Calpurn. IV, 87), quorum vis instrumentalis sit, quam eo, quod dativus etiam male haberet, qui apud passivum semper verum et primarium actionis auctorem indicat, ita ut Cynthiae, non custodi excludi debuerit poeta. Neapolitanus prodere haec videtur: Sic ego tam sancti custode *relegor* amoris.

In versuum III, 28, 53 sq. adornatione Scaligerana: Et quot *Jona* tulit vetus et quot Achaica formas Et *Thebae* et Priami diruta regna senis bene emendatum est codicum Phoebi, male Troia; Troia tamen mendosum, neque sani iudicii est, regna Priami quasi totam Troada et ipsam urbem internoscere; nempe etiam Thebas ne urbem putaremus dici Achaicam, vetus expresse Achaia dicta est, hoc est Peloponnesiaca. Vereor ne substituendum sit Thraca quod Thraciae nomen et Horatio (Epist. I, 3, 3) placuit et Vergilio (A. XII, 335): Rhodopen fortasse cogitabat poeta vel siquas alias habes, adprime Phyllidem. Nam haec quam trita fuerit elegiacis istis, praeter Properti v. III, 24, 44 et miram illam exclamationem in Culice (v. 133): Perfide Demophoon et non deflende puellis Ovidius omnibus fere amatoriis scriptis testis est gravissimus [1]; sed etiam Tuscus tunc temporis Phyllidem cecinit (vide Ovid. ex Ponto IV, 16, 20). Quod nisi ingeniosius quam verius Kiesslingius [2]) sub Demophoonte illo ad quem Propertius elegiam scripsit III, 22 ipsum Tuscum coniecit latere eius

1) cf. etiam Persi I v. 34.

2) Georgio Fr. Schoemann gratulatur phil. ordo, Gryphiswaldiae 1875.

sodalem (atque rem me credere ingenue fateor)[1]), non sine causa reconditiore nostro loco inter mortuas heroidas etiam Phyllis commemorabatur.

Iam vero Propertius quamquam eius artis per certos gradus manifesto emendatioris testimonia tam copiosa vidisti, tamen ne nunc quidem omnia sua scrutanti suppeditavit. Dudum est enim animadversum primum eius librum eo praeclare superare reliquos quod in eo solo a formis incompositis abstinuit quibus IV V VI sigla adpinximus. Reperiuntur autem locis his: II, 1, 51. III, 15, 43. 29, 31. 31, 53. 33, 9. 27. IV, 6, 25. 8, 23. 11, 33. V, 1, 63. 7, 41. 8, 61. 10, 17.

Itidem qui iustam plane normam excedunt versus: II, 6, 29. 9, 9. III, 14, 3. 17, 11. IV, 14, 7. V, 7, 5. 8, 63.

Itidem pedem secundum dactylico vocabulo vitiose conclusum semiquinaria caesura sequente in alterum demum librum Propertius intulit (3, 11) inque tertium (24, 19).

Itaque poeta — alia est enim artis integritas, alia elegantia — hanc in hexametro pangendo magis magisque fovebat, illam subito post absolutum librum primum abiecit. Ad quod quid fuit quaeso tunc temporis quare trahi posset? Talia enim si forte fierent, balbutirent ii qui doctae se lyrae sollertes iactabant. An et hoc forte accidit ut primum volumen „monobiblum" Tullo legeremus dicatum nullamque in eo Maecenatis mentionem, secundum ordiretur a Maecenate? A Maecenate consentaneum est non multo post editam monobiblum domi Propertium esse acceptum; edita haec eodem fere tempore[2]) quo Vergili Georgica quae anni sunt 725:

---

1) Simile huius inter poetas Latinos denominationis ut ita dicam exemplum atque clarius fortasse fore spero ut alio loco exhibeam.

2) Certe anno fere 724 amor Cynthiae coepit. Editum primum librum Lachmannus (ed. Lips. pg. XXVII) anno 725 vel 726 arbitratur, alii aliquantum discedunt. Accurate tempus ni fallor non potest definiri ne post ea quidem quae disputavit Luetiohannes l. l. pg. 76 sqq. Nam quod carmen III, 10 post expulsum demum amorem

Georgica modo edita et studiosissime tunc sine dubio lectitata audiebat; Vergili etiam Aeneidem cernebat augescentem; cuius praeconium nascentis suscipit III, 34, 66; imitatio quoque illa in v. IV, 7, 49 ante editam cadit Aeneidem. Denique etiam Vergilium scis admisisse pleraque eorum quae laxioris artis ex Propertio supra adposui. Quid multa? a *Vergilio artem nimis anxiam atque angustam didicit derelinquere suumque fortius sequi ingenium*; eiusdem deinde in hexametro elegantiam appetebat: modo frequentiam vide verborum amphibracheon circa arsin quintam. Qua de coniectura ne nares corruges (sed enim iam Fr. Froehdius in Philologi tom. XI pg. 534 in re hexametrica amicitiam amborum respexit), auxilio adsit *observatio* duplex etiam de *pentametro*. Primum enim Gebhardius[1] qui egregia cura de positione egit substantivorum et adiectivorum arteficiosa atque quaesita in pentametris Tibulli Properti Ovidi, progressum quidem artis satis magnum Properti ex l. IV et V enotavit, miram simul tamen inconstantiam ex libris prioribus. Quae enim quattuor formae elegantissimae sunt

A:(bβ | aα) Tristia cum multo pocula felle bibat
B:(aβ | bα) Cera tuae primum conscia mentis erat
C:(b | $\beta\alpha$a) Ultores rapiant turpe cadaver equi
D:(b | $\alpha\beta$a) Stetque peregrinis arbor operta comis,

harum formas C et D Tibullo gratissimas in primis quidem libris raro adhibuit: C semel in l. I in 71 vv.; II in $35^{2}/_{5}$; III in $31^{1}/_{2}$; item D I in 88; II in 20; III in 63; saepius in libris IV et V: semel C in 11 (IV) aut $10^{1}/_{3}$ (V), D in

Vergilium apud Maecenatem vidit praeter ceteros; Vergili

Cynthiae scriptum esse Lachmanno credit — atque hinc fere tota illa ratiocinatio pendet —, obest carminis versus 8: nego enim post ultimum discidium et post carmen IV, 25 vocare Propertium potuisse Cynthiam *suam puellam*. Accedit quod causam amatoria relinquendi in v. 7 non amoris vacationem, sed aetatem dicit provectiorem. Itaque Propertius Augustum adloquens abripitur ad promissa quae scit suis viribus maiora esse, cum postea puellam suam canere non desierit.

1) De Tibulli Properti Ovidi distichis . . . Regimonti Pr. 1870.

$14^3/_5$ (IV) aut $12^1/_2$ (V). Formas vero A et B quarum magis etiam aequabilis verborum dispositio in solo libro I magno cum studio exercuit (A semel in 13, B in 27), tum subito in l. II neglexit (A semel in 22, B in 44) item in III (A semel in $25^1/_5$, B in 101) et in IV (A semel in $23^4/_7$, B in 55), atque in ultimo demum libro ad artem primi revertitur (A semel in $15^1/_8$, B in $29^3/_4$).

Alterum addi potest etiam gravius. Sinistram enim pentametri partem male spondiacam totam reddidit poeta semel

l. I in $15^3/_4$ (23 ex.); II in $5^1/_8$ (33); III $6^3/_4$ (77); IV 7 (71); V $8^1/_5$ (58).

Maior etiam differentia apparet pentametris spondiacis collectis iis ubi pes primus male uno vocabulo expletur atque definitur; unum est enim exemplum I in 176 (2); II 24 (7); III 36 (14); IV $41^1/_4$ (12); V $47^3/_5$ (10).

Ceterum spondiaco vocabulo pentameter unus incipit I in 44 (8); II $18^7/_9$ (9); III 18 (28); IV 18 (27); V 24 (20)[1].

Atque ex his collectis quid porro colligemus? Non dubia res. Propertius anno fere 726 in aemulationem adlectus poetae hexametrici pentametrorum suorum subito inde a libro II atque mirabiliter oblitus est neque nisi per ultimos libros lente sarcire damnum adgreditur, ceterum in hoc uno sibi constans, ut clausulam pentametri polysyllabam in secundo quam in primo libro pariterque in sequentibus rariorem ponat.

Non autem Bucolica maxime secutus videtur, sed quae tunc edita diximus Georgica. Age enim spectemus F II hexametri id quod adhuc restabat. Reperiuntur huius in l. I 5 exempla, II 5, III 18, IV 8, V 3 aut unum in

libri I $70^3/_5$ vv.; II $35^2/_5$; III 28; IV 62; V $158^2/_3$.

---

1) Vergilius in Catalepton multo inexercitatior, cum inter 29 pentametros ter primum pedem spondiaco verbo seiunxerit, hoc est semel in $9^2/_3$ vv.

Itaque F II : F III = 1 : 2³/₅ (I); 1 : 1²/₅ (II); 1 : 1 (III); 1 : 3¹/₂ (IV); 1 : 11¹/₃ (V).

Itaque etiam hac in re subito inde a l. II peccatur; revertitur ad primum librum in quarto, quintus multo elegantior. Atque ad hoc non Bucolicis induci poterat Propertius, quae exhibent F II deciens quater aut inter 58³/₅ vv. semel (F II : F III = 1 : 8), sed potius Georgicon libri I 17 exemplis, quorum unum cadit in 30¹/₄ vv. (cf. infra pg. 40 reliquos Vergili numeros). Nonne admirabile, quam anxie huius vestigia premant Sexti elegiae primis annis tutelae Maecenatianae compositae? In quinto vero libro liberior incedit Ovidioque potius hac in re expolitissimo propinquior est.

Praetulisse autem Sextum Theocriteis Vergili Hesiodea testimonium ipsius non deest quamvis subobscurum; nam libri III carminis ultimi vv. 83 sq. multum vexati [1]) et quorum corrector adhuc exspectatur id exprimant dico necesse esse: anserem fortasse fuisse in Eclogis Maronem (cf. Verg. Ecl. 9, 36), in Georgicis tamen olorem ore canorum.

Iam metam tangimus. Nam de tempore librorum singulorum hoc monuisse contentus sum, non libere carmina per varios libros disposita esse videri, sicut per Horati carminum libros praeter quartum, sed alterum post alterum a Propertio editum esse indeque cuiusque tempus esse definiendum.

Restat ut de lectionibus nonnullis rationem reddam quas aut excogitavi ipse aut ab aliis inventas reieci.

Ita carminis III, 34 in v. 39 non secutus sum Muellerum formam II constituentem ita: N o n p r o s i n t t i b i q u a d r i g a e f a t a A m p h i a r e a e. Nam ut A m p h i a r e u s dici potuerit — sed desperantis est tale inferre — transponentem deficit similitudo veri; aliter c. III, 33 v. 9 scriberem: C o r n u a c u m I u n o t e i u s s i t h a b e r e p u e l l a m; aut

1) Sententias virorum doctorum ample expositas atque auctas habes ab Heydenreichio in Comment. philol. in honorem G. Curtii ed. Lipsiae 1874.

IV, 6 v. 25: Improba me vicit non moribus illa sed herbis — similia non pauca. Superfluit metrum in lectione tradita: Non Amphiaraeae prosint tibi fata quadrigae; sed haec ni fallor lenissima emendatio praesto est:

Num Amphiaraeae prosint tibi fata quadrigae?
Aut Capanei magno grata ruina Jovi?

Corruptela eadem e. g. c. IV, 6 v. 3 in Neapolitano. Erit igitur hoc exemplum unicum ubi synaloephen in prima arsi admiserit poeta; at enim initio dextrae partis pentametri vix minus durum hoc: si altera talis erit (III, 14, 10); neque illud a Vergilio alienum, vide Bucol. III, 48 (cf. Ciris v. 295). Atque sit hoc singulare, aeque singularis in Propertio versus 17 carminis III, 25: At nullo dominae teritur sub limine *amor qui*. Qui enim inde ab Heinsio clausulam emendaturi amator scripserunt neglexerunt literas, deturparunt sententiam. Nimirum sciebat poeta ridiculum esse hominem teri sicut saxum liquore! Ceterum vide quae contra Iacobium disputavit Hertzbergius ad locum. Emendandum potius erat sub limine; nam quod Davisio debetur molimine eo celatur volnus, non sanatur. Credibilius hoc: At nullo dominae teritur *sufflamine* amor qui Restat et immerita sustinet aure minas; nam conferendus versus Iuvenalis est (XVI, 50): Nec res *atteritur* longo *sufflamine* litis. Sufflamen aperte hoc loco pro impedimento atque incommodis positum in Propertianam sententiam unice quadrat. Utrobique autem terendi verbum adplicatum. Scilicet non hoc unò loco Propertium Iuvenalis imitatus est. Denique hac imagine [1]) adhibita facilius fortasse explicatur cur restat verbum insequatur cum hac de re perstat dici soleat (cf. Ovidi Her. XV, 25. Tibulli I, 5, 71) [2]).

1) Quam etiam imperator Augustus „optime" adhibere callebat de Haterio dicens nimis velociter orante: Haterius noster sufflaminandus est (Seneca Controv. IV praef. § 7).

2) Addo Jacobium spes limine amorque ausum esse, Kindscherum: At nulla dominae teritur sub lite amor ulli!

In v. 13 carminis I, 13: Haec ego non rumore malo non augure doctus — acquievi in FIII; lectio incerta neque ad manum restitutio veri; certe aio quod pro malo Hauptius supposuit iam ab aliis improbatum est.

De spondiaca forma in sede prima dubitari possit in v. 15 c. II, 7: Quodsi vera meae comitaren castra puellae. In quibus si comitarent scribitur mala sententia cum nascatur, multae emendandi viae initae sunt ab Heinsio Scaligero Lachmanno aliis, semper tamen ut vera vocabulum delerent cui me quidem iudice nota inusta est veritatis. Quid enim amatorio poetae aptius, quid magis solitum quam castra puellae quasi vera castra castris Martiis opponere? Ideo subridicula Hertzbergi interpretatio est: quod si vera castra essent verumque bellum, quae meam puellam sequuntur! Ut vero meam promam opinionem, versibus 8 primis successisse olim usque ad v. 14 parem versuum numerum ipsi codices testantur; altera igitur stropha ita fere concludebatur:

Unde mihi *dulcis quaeso oscula perdere amoris?*
Nulla *hos amplexus solvere* castra *valent.*
Unde mihi patriis natos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.

Tum quod sequebatur exodium sic incipiebat:

Quod nisi vera meae comitarem castra puellae
Non mihi sat magnus Castoris iret equos.

Comitarem iam Itali; nam etiam Ovidius ab activa forma non abstinet ubi passiva uti licebat. Quodni initio versus scribere vix praeferes, licet ibidem posuerit Aetnae poeta v. 128, Manilius I, 173[1]).

A schemate PQS subtraxi versum 13 c. II, 9 ubi postquam lavari a Briseide Achillem mortuum narratum est, pergitur: Foedavitque comas et tanti corpus Achilli

1) Adnoto ni pro nisi etsi optimis placuit poetis, etiam tersissimo illi qui ex Herculanensibus ruinis prodiit apud Riesium A. L. N. 482, non exstare apud Propertium praeter I, 9, 33.

Maximaque in parva sustulit ossa manu, Cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater eqs. Primum certo certius est cum tibi voce mortuum poeta adloquatur intra fines eiusdem sensus, sub Achilli subesse debere vocativum. Deinde tanti corpus Achilli sicut per se non satis dignum est nostro poeta, ita iuxta maximaque ossa positum prorsus superfluit. Nescimus Propertium tam misere bis idem dicere. Denique quaenam haec est narrandi ratio, ut primum lavare dicatur puella, tum et comas foedare et corpus Achillis manu tenere? Cur quaeso manu tenuit? An quia comas foedavit? an ut foedaret? Iam vero sic velim litteras distinguamus:

Foedavitque comas settan ti corpus Achilli,

unde facile elicies:

Foedavitque comas siccans tibi corpus, Achille.

Inde igitur comas dicitur foedare Briseis, quia iis effusis siccat lavatum. Ad elocutionem confer Stati locum (Theb. XI, 642 sq.):

Illius exili stridentem in pectore plagam
Ismene collapsa super lacrimisque comisque
Siccabat plangens.

Hyacintho Apollo moribundo volnera siccat (Ovidi Met. 10, 187); cf. etiam Vrgl. A. IV 687; X 834. Attendas simul tergendi verbum vel detergendi quod vitae cotidianae est rarissime legi apud poetas. Denique apud Propertium si de Adonide dicitur (III, 13, 39): Illis formosum lavisse [1]) paludibus, illuc Diceris effusa tu Venus isse coma — quia effusis itidem comis ad puerum lavandum it, non minus fortasse tacite siccantem Venerem imaginatus poeta est, sicut in idyllii quod Bioni adscribitur primi versu 84 sq. Veneris loco Cupidines lavant Adonin siccantque alis refrigerantibus [2]).

---

1) Haec enim certissima Scaligeri emendatio (in codd.: iacuisse) iniuria spernitur. An nihil cogitavit Propertius subito paludes commemorans?

2) Ad versum autem Prop. II, 9, 13 — ne hoc omittam —

Pluribus coniecturis indulgere nolo ut ne modum excedam brevitatis; utque festinem ad reliquos, pauca de **Horatio** disseram nimis nimirum pedestri quam cui cum aequalibus liceat comparari. In Epodon tamen 75 hexametris (quibuscum pauci in carminibus qui exstant non male consentiunt) Propertianum fere colorem adaequat; semel enim exhibet

PPS in $12^{1}/_{2}$ vv; PPD in $5^{5}/_{6}$; PQS $4^{1}/_{6}$; PQD $9^{3}/_{8}$; H. tr. 19; F II 75.

Satirarum adplicavi libri I 1—4 (sed ad caesuras totum librum), libri II 4—8 ad caesuras, ad reliqua 1—3; Epistolarum ad caesuras I, 1—13 et 17—20, ad reliqua I, 1—9 simul cum 18; denique Epistolas ad Augustum adque Pisones. Unde hi numeri provenerunt:

Semel exstat

	PPS	PPD	PQS	H. tr.	F II
Sat. I: in vv.	16 (34 ex.)	$8^{8}/_{11}$ (78)	$4^{8}/_{13}$ (117)	$10^{2}/_{3}$ (96)	33 (31)
„ II:	$12^{1}/_{6}$ (45)	9 (61)	$5^{1}/_{3}$ (103)	$10^{1}/_{10}$ (53)	$35^{2}/_{3}$ (15)
Ep. I:	10 (58)	$7^{5}/_{8}$ (75)	5 (117)	$12^{1}/_{4}$ (69)	40 (22)
Ep. Aug.:	16 (17)	$7^{5}/_{7}$ (35)	$4^{11}/_{20}$ (59)	$10^{4}/_{5}$ (25)	$38^{4}/_{7}$ (7)
Ars Poet.:	$23^{4}/_{5}$ (20)	7 (68)	6 (80)	$8^{1}/_{5}$ (58)	34 (14)

Itaque F II : F III = $1:2^{1}/_{4}$ (Sat. I); $1:2^{1}/_{2}$ (Sat. II); $1:2^{1}/_{7}$ (Ep. I); $1:2^{4}/_{7}$ (Ep. Aug.); $1:3^{1}/_{7}$ (Ars).

Praestantior antecedentibus in plerisque Ars Poetica [1]). Digna memoratu etiam haec:

Formam enim IV hexametri magis magisque spernebat Horatius, quae semel occurrit Sat. I. in 65 vv., Sat. II in 267, Ep. I in 419, Ep. Aug. in 270 [2]), Ep. Pis. in 476. Increbrescunt simul formae V et VI ita: Sat. I semel in 38, Sat. II in 67, Ep. I in 44, Ep. Aug. in 18, Ep. Pis. in $20^{2}/_{3}$.

PQS simul si dipodia hexametri finalis ex more rudio-

---

nescio quo casu in Codice Colotiano apud Burmannum enotatur legi: Siccavitque comas!

1) Cf. quae de ea monuimus pg. 13.

2) Aut nusquam si in v. 99 velut si pro una voce accipiendum est.

rum atque satirico vitiose et aliqua cum violentia formatur, item rarescens semel exstat Sat. I in $20^4/_5$, Sat. II in $30^4/_9$, Ep. I in 30, Ep. Aug. in 30, Ep. Pis. in 53.

Denique post PQS gravior sermonis pausa — qualem elegantiores summopere vitabant — exstat semel Sat. I in $15^3/_7$ vv., Sat. II in $30^1/_2$, Ep. I in 44, Ep. Aug. in $24^1/_2$, Ep. Pis. in 34.

Procedo ad **Vergilium**; cuius tota ars duobus potius quam tribus distinctis gradibus videtur complectenda. Atque ne ad singula haesitemus accedere, primum minusculam hanc tabulam perlege:

Semel exstat

	PPS	PPD	PQS	PQD
Bucol.: in vv.	22(37ex.)	$5^{13}/_{30}$(150)	$7^1/_3$(111)	$8^{13}/_{15}$(92)
Georg. [1]):	$34^3/_4$(23)	$6^1/_2$ (123)	8 (100)	$16^2/_3$ (48)
Aen. I:	$33^1/_3$(30)	$7^1/_2$ (133)	$9^3/_7$(106)	$26^1/_3$ (38)
VIII: [2])	$32^1/_4$(31)	$7^{13}/_{16}$(128)	$6^5/_9$(146)	$25^5/_8$ (39)
XII:	34 (28)	7 (122)	$7^1/_2$(123)	$29^7/_{10}$ (31)

Itaque adolescens satis iam tersae artis primum colere Camenam occepit. Neque tamen remisit industriam id curans ut primum pedem magis expoliret quem inde a Georgicis multo rarius expletum vides spondiaco verbo; atque hoc admiratione eo dignius quo crebrius — posteriora si comparas — in Bucolicis verba amphibrachyn valentia in altera sede versus inveniuntur; sunt autem talia semel in Bucolicis inter $45^1/_6$ vv., in Georgicis inter 171 (I) tantum aut 135 (II) aut 71 (III) aut 189 (IV), in Aeneide inter 98 (I) aut 72 (II) aut 143 (III) aut 101 (IV) aut 90 (VI) aut 95 (XII).

1) Enumeravi librum II simul cum tertii 258 primis hexametris.

2) Adnumeravi ad l. I libri II vv. 1—244; ad l. VIII libri IX vv. 1—269. Addere possum ad PPS et PQS usum confirmandum hos Aeneidis numeros: semel PPS libri III in 34 vv. (21 ex.), IV in $28^1/_5$ (25), VI in $31^1/_{29}$ (29); PQS III in $10^5/_{14}$ (69), IV in $7^3/_8$ (95), VI in $8^{13}/_{17}$ (103).

Praeterea novam quandam elegantiae normam ac regulam cognoscimus; neque enim artis fastigium esse potest dactylici pedis primi et quarti finis ut in finem cadat vocabuli; nam etsi dactylicum vocabulum cum in singulos articulos diluatur quam subtilissimos defluere potest videri in sequentia tamquam humor dissipatus in aerem, tamen aliquatenus etiam hic acriter sentienti sentitur incisio; quare et PPD et PQD rarescit apud Vergilium; atque Tibullum praecipue consensisse videbis postea.

Etiam circa pedem quintum verba amphibrevia magis fovebat Eclogarum scriptor quam Georgicon; eorum enim vide unum reperiri in Bucol. inter $81^{1}/_{3}$ vv., in Georg. I inter $171^{1}/_{2}$, II 542, III $141^{1}/_{4}$, IV $188^{2}/_{3}$, denique Aen. I 108, II 72, III $178^{3}/_{4}$, IV 70, VI $112^{1}/_{2}$ etc.

Restat usus caesurarum. Et quidem quod attinet ad Bucolica, ex rei natura facile explanabitur cur in iis quippe cantabilioribus (conferas quae diximus de Hymenaeo Catulli) praeamaverit Vergilius adplicare formam III. Itaque cum in tres partes metrum divellat semel in Bucol. inter $7^{11}/_{15}$ vv. (105 ex.), in Georg. I in $7^{10}/_{11}$ (65), II in $8^{5}/_{11}$ (66), III in $5^{2}/_{3}$ (100), IV in $6^{1}/_{2}$ (87); in Aen. III inter $6^{1}/_{2}$ (110), IV inter $6^{2}/_{3}$ (105), VI $6^{1}/_{6}$ (146), XI $5^{5}/_{8}$ (163), F II semel occurrit in Bucol. inter $62^{1}/_{2}$ (13)[1]), in Georg. I inter $30^{1}/_{4}$ (17), II inter 26 (21), III inter $13^{1}/_{2}$ (42), IV inter $14^{1}/_{7}$; in Aen. III inter $17^{1}/_{2}$ (41), IV $16^{3}/_{4}$ (42), VI $19^{3}/_{5}$ (46), XI 15 (61).

In quibus periucundum videre est, priusquam Vergilius ad formae II frequentiam maximam descendit qualem accomodatam ducebat stilo heroico et ponderoso, quantopere haerere ille cupiverit per duos

---

1) Discernenti autem inter Eclogas II III VI IX easque quae restant in priore parte 9 invenientur formae II exempla, in posteriore 4, aut unum hic inter 98 tantum vv., illic inter 47, ut etiam in cantu pastorali dicendum sit emendasse sese Maronem.

priores Georgicon libros in pristina arte! Itaque F II:F III = 1:7 (Buc.); $1:2^{14}/_{17}$ (Georg. I); $1:2^{1}/_{7}$ (G. II); $1:1^{3}/_{5}$ (G. III); $1:1^{1}/_{6}$ (G. IV); $1:1^{2}/_{3}$ (Aen. III); $1:1^{1}/_{2}$ (A. IV); 1: $2^{1}/_{6}$ (A. VI); $1:1^{2}/_{3}$ (A. XI).

Post haec Culex carmen inspiciendum, et quidem ut adolescentis esse aut probetur aut refutetur, cum Bucolicis maxime ars eius componenda [1]). Semel igitur exstat

	PPS	PPD	PQS	PQD	H. tr.	F II
(Cul.) in	$19^{5}/_{7}$ (21)	$4^{1}/_{2}$ (92)	5 (84)	14 (30)	$6^{1}/_{2}$ (64)	$25^{3}/_{4}$ (16)
(Bucol.) in	22	$5^{13}/_{30}$	$7^{1}/_{3}$	$8^{13}/_{15}$	$7^{11}/_{15}$	$62^{1}/_{2}$

Itaque F II : F III in Culice = 1 : 3, in Bucolicis = 1 : 7. Denique amphibrachy vocabulum in secunda hexametri sede unum inter 83 vv. Culicis (Buc. $45^{1}/_{8}$), in quinta sede unum inter 414 (Buc. $81^{1}/_{3}$). Itaque et in hoc ultimo et in caesuris satis praeclare Culicis diversa ars est, neque ea, ut is qui jure adolescentuli artem iuvene inferiorem esse dictitabit, hanc viam emendationis satis reddere possit probabilem. Tamen spurium esse carmen firmaturis a sermone imprimis proficiscendum erit; atque de eo ne abscondam quae mihi ad manum sunt — nam ne hac quidem in re satisfacere videntur quae Baurius composuit l. l. — letare verbum quod est in v. 323 si olim in adolescentia poeta formare fuisset ausus, num postea ubi tam multi apud eum leto dantur potuisset spernere? Ovidius finxit verbum, indeque — nam haec unica ratio concludendi — prompsit sibi scriptor Culicis; indidem parilis (v. 227 356) neque ex Lucretio fluxisse quidquid dicit Ribbeckius maiorem habebit veri similitudinem. Quid quod carminis auctor (v. 12) de Apolline dictum debetur Tibullo (II, 4, 13)! mundus aetherius (v. 102) Lygdamo (4, 17)! Porro illud Octavi venerande, sancte puer (v. 25 sq.) effictum est ex Aeneidis (IX, 276) venerande puer. Denique — neque enim hoc quemquam video animum ad-

1) Bene iam in hos fere numeros attendit F. Baurius (Fleckeiseni Annal. 1866 pg. 367) quamquam parum accurate egit neque excussit rem.

vertisse — sicut Ciris poetam Schwabius[1]) verissime dixit voluisse nihil nisi ut thema sumptum ex quattuor versibus Georgicon (I, 409 sqq.) circumscriberet, variaret, explicaret, haud secus scriptor Culicis quamvis in singulis suo plerumque uberiore usus ingenio incitatus erat versibus Georgicon III, 417—439, ubi saxis roboribusque viperas defendere docemur (etiam hoc in Culice v. 192 sqq.), malus deinde imprimis anguis memoratur qui aestatis ardore ex paludibus pulsus per agros saeviat flammantia lumina torquens;

Nec mihi tum molles sub divo carpere somnos
Neu dorso nemoris[2]) libeat iacuisse per herbas

---

1) Qui de Ciri scripsit Dorpati 1871. Cuius carminis ne frustra numeros quaeras, hic interpono: semel est PPS in $28\frac{1}{2}$ (18), PPD $6\frac{2}{3}$ (81), PQS $4\frac{1}{2}$ (120), PQD $15\frac{1}{2}$ (35), H. tr. $9\frac{1}{6}$ (59), F II 54 (10). F II:F III = 1:5.

2) Miro modo conspirant etiam singula; ita dorso nemoris sic adplicatur: Excelsi montis iuga summa petivit (v. 46) et: Haud procul accessit luco residere virenti (109). Volvens (Cul. 163) = convolvens (Verg. 426, cf. 438); squamosos (Cul. 167) = squamea (V. 426); herbae Cul. 159 et V. 436; maculatus Cul. 164 = maculosus V. 427 (sed in Culicis v. 172 pro maculatur scripserim: cui crista superne Edita purpureo lucens *minitatur* amictu). Non autem in Culicis v. 166 expressus videtur Vergili v. 439; nam ore trilingui incertissima Schraderi coniectura est; immo lingua quod traditur optimum; numquam enim os legi vibrare, semper linguam. Itaque sic potius legendum: Obvia vibranti carpens gravis *arida* lingua; nam ex aridis aperte in limum mergitur. Atque in hac una re discrepat Vergilius, qui potius relinquentem paludes anguem cogitat. Quodsi Donatus in vita Vergili argumentum Culicis exponens narrat „serpentem ad pastorem prorepsisse e palude“, non alium Culicem dicendus est in manibus habuisse (id quod Maehly sumit: Annales Heidelb. 1870 pg. 821), sed quisquis illa scripsit cum memor forsitan fuerit loci ex Georgicis laudati, tum male videtur intellexisse Culicis versum 165 quippe iam tum sicut in nostris codicibus vitiose ita scriptum: Mersus ut in limo magno sub sideris aestu.

Cum positis novus exuviis nitidusque iuventa
Volvitur aut catulos tectis aut ova relinquens.

Versus autem 1—12 ab eo qui decepturus homines pro Vergiliano primus poema venditaverit praemissos esse certus sum neque fortasse ab ipso Culicis auctore.

Etiam de Catalepton Vergiliano XI pauca iuvat disputare. Et primum quidem recte hoc ipsi Vergilio abnegari etiam numeri testantur; occurrit enim et PQD in $5^1/_3$ quoque versu (at in reliquo Catalepton nusquam) et PQS in quarto quoque (at in reliquis inter $10^1/_3$ semel hexametros). De primo pede haeret iudicium quia versum 61 magis confidimus prave corruptum esse quam facile posse emendari. Ita traditur in libro Bruxellensi: Si laudem aspirare, humilis si adire cirenas. Atque in hac lectione acquiescere se posse ait Hauptius[1]) nisi quod pro cirenas corrupto camenas accipit. Sed multis equidem offendor. Primum nusquam me legere memini humiles Musas appellatas atque ne posse quidem discerni credo inter plures humiles Musas pluresque sublimes; vellem potius coronas coniecisset aliquis quocum conferretur e. g. Lucreti IV, 4. Accedit quod adire si per anaphoram ponitur, eodem utrobique sensu stare debet; sed rem aliquam (sales) adire est rem suscipere, deos vero (Camenas) adire potius idem quod diis supplicare. Confidentius priorem partem hexametri corruptum esse contendo. Nam infinitivo aspirare qui quasi tertius antecedit — ne urgueam caesuram obscurari semiquinariam — vis repetitionis infinitivi adire omnino

1) Hauptius in Indice lectionum Berol. 1859 pg. 12. Verissime certe alucinari dicit eos adire qui temptaverunt. Sic enim Oudendorpius: Si laudem aspirare humili licet arte Camenae; humili licet utar avena Wagnerus; Hertzbergius: Si licet asperius, simili recitare Camena. Denique Maehly l. l. pg. 792: si tandém aspirante humili transferre Camena. Hiatus autem ille in si adire poetae Vergilium non tecte imitanti condonandum est; cf. e. g. Vergili Ecl. VIII v. 107: qui amant.

infringitur et hebetatur. Atque quidnam significat aspirare cum accusativo constructum? Ventos apud Vergilium Iuno adspirat eunti, Venus ibidem Volcanum adloquens dictis adspirat divinum amorem; numen Quintiliano ingenium aspirat (l. IV prooem. 5); itaque poeta noster si laudem aspirare volt, non possumus interpretari nisi eum laudem alicui concedere velle; quod absurdum est. Attingere ut intellegeretur, scribere fortasse licebat: si laudi aspirare[1]). Denique laudem moleste fero carere adiectivo; exspectabam dici „si ad tuam" vel rectius „si ad minorem quam tu laudem aspirare possumus."

Atque reliquos inspicientibus codices augebitur dubitatio; nam in Helmstadiensi quidem pro aspirare traditur aspirarem, in ceteris potius aspirem. Et quidem non sine specie dicetur Bruxellensi licet saepe exhibeat meliora infinitivum per coniecturam inlatum esse ab eo qui aspirem parum intellexerat. Potest etiam cyrenas illud esse verius quod pro cirenas reliqui libri praebent. Iam vero ut aliquid conemur, quia voce cyrenas humile carminum genus indicetur necesse est, incidit in mentem locus Vergilianus hic (Ecl. IV, 2 sq.):

Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
Si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

Itaque humile carminum genus cum myricis, elatius cum silvis poetice componitur, ita tamen ut etiam sic silvae non significent heroicum carmen, sed eiusdem levioris Camenae aliquanto lusum grandiorem. Atque hanc imaginem bene inventam imitatus est Calpurnius c. IV v. 77. Diu est autem animadversum etiam nostri carminis poetam scilicet de Messalae Bucolicis graeca lingua scriptis agentem ex Bucolicorum Maronis sermone multa deprompsisse. Nescio num

---

1) Certe in prosa oratione ad laudem aspirare dicitur. Dativus sensu aliquantum mutato exstat apud Vergilium (XII 352), ubi Dolon equis Achillis adspirasse dicitur.

etiam myricas illas silvasque in suam vertere rem audere potuerit. Id certe et litteris traditis et adiectivo humiles concedes aliquatenus commendari. Ut enim falso distractas rursus coartemus litteras: silaudemaspirem humiles si adire cyrenas, haec nanciscimur:

Silvae dum aspirent, humiles si adire myricas,
Si patrio graios carmine adire sales
Possumus, optatis plus iam procedimus ipsis:
Hoc satis est: pingui nil mihi cum populo.

Atque haec ita poteris interpretari: Nihil mihi cum pingui populo; satis enim est graios sales adire etiamsi populus non plaudit. Tamen adire eos nequeo nisi patrio sermone, hoc unum quia non assequor, ut tuo exemplo, Messala, etiam lingua utar Cecropia. Itaque antequam nobis silvae aspiraverint, hoc est, antequam graeco carmine graecos sales adire licebit, optato iam plus procedimus si in patrio hoc sermone myricis iuvamur.

Conscius audaciae sum; credenti vero etiam primus pes dicendus erit inelegantius esse formatus quippe cum PPD quidem semel in 7 vv. prostet (in reliquo catalepton inter 8), PPS vero in 16 semel (cf. v. 37), at in reliquis inter 31 tantum semel.

Placet statim apponere **Lygdamum**. Tertium enim Tibulli librum alius esse poetae novis nuper et amplioribus curis firmatum est et a Lierso [1]) et a Kleemanno [2]); ipse vero poeta quis fuerit quoniam vix indagari poterit unquam [3]) — Ovidium esse iterum post Gruppium Kleemannus sumpsit

---

1) Ueber die Unechtheit eqs. Programma Brombergense 1875.

2) De libri III carminibus quae Tibulli nomine circumferuntur. Argentorati 1876.

3) Lygdamus libertorum nomen I. R. N. 2383 g. 961. 1506; cf. 6310 N. 130. Tamen si assumptum neque verum erat, vix alium atque Albium indicare poterat, quia „lygdos" et ex Diodoro et ex Plinio marmor esse discimus album et summopere candidum (cf. Martial. IV, 13, 3. 42, 21).

potius quam demonstravit [1]) — miram ego similitudinem monstrasse satis habeo intercedere inter Lygdamum et Catalepton XI. Primum enim huius cum numeris compares numeros Lygdami hosce: PPS semel in $10^1/_3$ (14 ex.), PPD in 9 (16), PQS in $4^1/_5$ (35); porro in Catalepton poeta numquam tripartito metrum divisit inter 32 vv., Lygdamus ter inter 145 (1, 9. 4, 57. 6, 17; nam in 1, 17 semiquinaria tolerabitur) et quidem bis FII; accedit quod apud utrumque quartus nusquam trochaeus fine vocabuli distinguitur (cf. Lachmanni ed. Tibulli pg. 44), quae res huius aetatis consuetudinem si respicis gravissima videbitur. Atque etiam in adornandis sententiis communia non deesse iam observavit Ribbeckius (vide eius Proll. ad App. Vergil. p. 13). Neque hercle contra facit quod inter familiares clientesve Messalae etiam Lygdamum solemus habere cum totum carminum corpus Tibullianum illius prodere tutelam videatur. Vergili etiam in Lygdamo imitationem exemplis non paucis firmavit Kleemannus pg. 50 sq.; Catulliana in Catalepton (Naekius Cato pg. 233; Ribbeckius App. Verg. pg. 12) incertiora. Quodsi revera idem hic poeta est [2]), pentametri certe artem postea

1) Nam locutionum similitudine quam curiose enotavit nihil probatur nisi lectitatum fuisse L. a Nasone cum Amores ederet. (Futiliter enim prorsus Liersius Ovidianum potius poetam Lygdamum esse argutat). Scilicet si tabulam apud Kleemannum pg. 57 sq. multis etiam fortuitis refertam consulis, fere nihil invenies quod ille cum Heroidibus commune habeat, cum Amoribus nonnulla, pleraque cum Metamorphosibus Tristibus reliquis. Unde hoc nisi fallor sequitur (si iure Kleemanni tabulae fidem habeo) Lygdami elegias editas esse, Heroidas dum scribit Ovidius ideoque Amores eius non antecessisse Heroidibus. Quodsi non casu Vive memor nostri (Her. XI, 125) adsonat ad Lygd. V, 31 atque notus tepidus (Her. XI, 76) ad L. IV, 96 et facta nefanda (Her. XIV, 16) ad L. V, 12 et somnus mendax (Her. XIII, 105) ad L. IV, 12, ultimis earum quas Ovidianas esse confidimus Heroidum antecessisse Lygdami lectionem dixeris.

2) Id quod gaudeo iam pronuntiavisse Ribbeckium (l. l. pg. 13),

demum expolivit; si minus, Lygdamum sicut verbis haud raro suis Ovidius, ita in Catalepton poeta hexametrorum arte expressit. Denique rem metricam nemo fere magis quam Lygdamus Ovidio contrarie gessit.

Qui vero Lygdamum post mortem Ovidi exstitisse probaturus erat, id quod Liersius suscepit, debebat proficisci a versu 3 carminis 6 in quo legitur:

Aufer et ipse meum pariter medicando dolorem.

Neque enim Ovidi aetate corripi poterat do syllaba finalis. Mendum autem inesse per nullam adhuc coniecturam firmatum videtur. Nam unum quod solet placere Wyngardi patera medicante eo nisi fallor debilitatur quod medicantes nunquam res dicebantur, sed aut homines aut immortales. Tamen pariter quoniam caret sensu, patera tam pulchrum inventum est, ut insequentem ablativum nunc demum intolerabilem studeamus eradere[1]. Dittographia statuenda, eque medicandolorem haec efficientur:

Aufer et ipse meum patera medicare dolorem.

Aufer enim imperativus non est cur non dissolute cum antecedentibus coniungatur.

De **Tibullo** pauciora. Quam enim mecum versavi quaestionem de temporis ordine inter primi libri quae certa

---

elegantissimi iudicii virum, quamquam ei non omnia praesto erant quae protuli. Ceterum Ungerus (de C. Valgii Rufi poem. pg. 304) Valgium Catal. XI scripsisse coniecit.

1) Ita etiam in Heroidis Ovidianae IX v. 126 quae olim legebantur: Fortunam vultu fassa tegend*o* suam — frustra Hauptius tutatus est (Observ. crit. pg. 23) cum codex Parisinus exhibeat tegente. Tamen neque Melissus locum sanavit tacente supponens, quia non silentium sed e contrario lamentatio est lugentis; nec L. Muelleri latente, si ad rem, ad literas aptum est. Haec puto rectius legentur: Fortunam vultu fassa *ri*gente suam; rigere enim ut horrori affine est (cf. Ovidi Met. III 100. X 426) ita Heroid. IV v. 73 Phaedra Hippolyti vultum rigidumque trucemque laudat; neque enim comptos iuvenes sibi placere. Rigens igitur vultus incomptae atque incultae est.

nota carent elegias constituendo non subtiliorem quam infructuosiorem esse inveni; siquidem neque video quid refragetur O. Richtero semper nuptam Deliam esse contendenti neque intellego cur Marathi amor non potuerit nisi antecedere Deliae. Certe quae in unum librum ipse poeta coniunxit uno loco licebit ponere. Iam hos accipe numeros:

Semel exstat

	PPS	PPD	PQS	PQD	H. tr.	F II
I: in	$20^1/_4$ (20 ex.)	$16^7/_8$ (24)	7 (59)	24 (17)	$4^2/_3$ (86)	135 (3) [1]
II:	$30^1/_2$ (7)	$11^1/_4$ (19)	$8^1/_4$ (26)	$35^2/_3$ (6)	$5^4/_5$ (37)	71 (3)
IV 2—7:	25 (3)	$12^1/_6$ (6)	$9^3/_8$ (8)	—	$6^1/_4$ (12)	38 (2)

Itaque F II : F III $= 1:27^2/_3$ (l. I); $1:11^1/_3$ (II); 1:5 (IV).

Excoluisse Albium vides quartum pedem, ubi PQS rarescit quamquam simul H. tr. — quo inter elegiacos summam hunc dulcedinem assequi supra monuimus pg. 16[2]) — magis magisque postea neglegitur. Cautissimus cur sit etiam in PPD et PQD explicavimus pg. 40. Porro ut in H. tr. primus pes uni vocabulo concedatur spondiaco, nunquam occurrit nisi in primo libro, et quidem, quod est memorabile, bis in tertio carmine (v. 65 et 81) quod inter ea quae certo anno possunt adscribi vetustissimum est; teneo enim annum 724[3]), non 726 quem Teuffelius commendavit in Studiis et Charact. pg. 360 sqq. Quodsi idem in v. 57 c. 9 culpandum vides, etiam hos elegos pones inter vetustiores[4]).

1) Excipio I, 5, 21; minus IV, 3, 17.

2) Et quidem in c. I, 10 eo provectus est ut saepius quam in altero quoque hexametro F III poneret; id quod non ex temporum ratione poterit explicari, sed ita ut poetam dicamus argumentum carminis quodammodo languens soni iucunditate maxima voluisse compensare.

3) Adstipulor enim Fischero Roem. Zeittafeln pg. 373 et 381.

4) Nam etiam quod ad PPS et PQS attinet minus elegans hoc carmen. Quod ut computetur cum c. 3, haec accipimus: semel PPS in 8 vv., PPD in 18, PQS in $6^{11}/_{13}$, PQD in $22^1/_2$, H. tr. in $5^3/_5$. Fortasse etiam c. 1 adnumerandum erat. Tamen in Tibullo caute agendum est.

Vocabula amphibrevia secundam arsin quae occupent rarescentia exstant semel in l. I inter 81 vv. (5 ex.), II inter 214 (1), IV nusquam. Incuriam vero praeclare prodit augescentem usus formae II; eandem amphibrevium verborum usus circa arsin quintam positorum libri I semel in 202 vv. (2), libri IV in 38 (2 ex.), cum vacat liber II.

Itaque cum per certos gradus retexisse videar poetam partim emendationi partim neglegentiae obnoxium, non est cur credam libri quarti elegias ante librum secundum compositas esse; hoc enim sumunt viri docti Gruppius Teuffelius arbitrario potius quam ex indiciis, quoniam ut carmen II, 2 de Cerintho intellegamus et Sulpicia, tamen qui res humanas considerat contra dicet vix alii viro Sulpiciam concessisse ante conubium dumque amor periclitatur, amorem ut urbi narraret.

Iam vero consulamus numeros qui sunt Panegyrici in Messalam, si forte ad quaestionem de eius origine Tibulliana, quam post Teuffelium affirmantem (l. l. pg. 352) denuo nuper tractavit Hankelius (in Actis soc. philol. Lips. tom. V), aliquem fructum nobis capere liceat. Exstat autem in eo semel PPS in 26 vv. (8 ex.), PPD in $7^1/_2$ (28), PQS in $6^1/_5$ (34), PQD in 15 (14), H. tr. in $7^2/_7$ (29), F II in $23^4/_9$ (9); itaque F II:F III$=1:2^2/_9$. Post primum simul et secundum trochaeum, item post quartum simul et quintum numquam incidi vidi hexametros.

Atque differentia statim non parva elucet inter Panegyricum et primum librum Tibulli cum ex PPD et PQD, tum ex formae II frequentia.

Non minus gravem subicio observationem [1]) quam sicui latius extendere tempus erit bene erit. Positionem enim verborum in hexametro sicut in pentametro non arte carere et legibus, quod supra diximus de natura disputantes tripartiti hexametri (pg. 10), nunc pluribus probemus etiam

1) Quae male fugit Cuningamium de Hor. Carm. I, 7, 11; Epod. 15, 3.

de bipartito; grata enim etiam poetis nostris hac in re quae rhetoribus placebat parisosis aut parhomoiosis. Quare ut sinistrae hexametri partis clausulam clausulae adsimilarent totius versus, utrobique eas voces ponebant inter se quae responderent, aut ita:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis
Ianua vel domina penitus crudelior ipsa
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,

aut tectius ita:

Sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis Fletibus
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen
Multum in amore fides, multum constantia prodest,

aut per oppositionem ita:

Hospita Demophoon tua te Rhodopeia Phyllis,

aut ut pedis sexti munere quintus fungatur:

Iam licet et Stygia sedeat sub arundine remex[1])

aut etiam:

Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet

et

An quia parva damus mutato signa colore.

Neque ex arte heroica talia non comparanda sunt:

In quibus auratam proles Letoïa fertur
Deposuisse lyram; — et
Oraque caerulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua; — et
Si quae te genuit talis, pulcherrime rerum,
Qualis es ipse, fuit, merito deus arsit in illa.

Iam in primis quattuor quae exscripsimus exemplis causa nostra versatur; cetera enim non aeque simplicia; illa vero qui nimis frequentabant, curabant quidem positionem

1) Et huius quidem formae amore perductus Tibullus in II, 2, 5 scribere videtur maluisse: Ipse suos genius adsit visurus honores, quam salva prosodiaca lege: Ipse suos adsit genius visurus honores.

verborum elegantem, parum curabant varietatem. Nam non pares hac in re poetas esse primo obtutu pervolitanti carmina apparebit; adsit tamen Ovidi et Properti comparatio. Quorum ille inter Transformationum libri VIII versus 294 bipartitos primos exempla exhibet 36 aut unum inter $8^1/_6$ vv.[1]), at Propertius unum inter 2 fere hexametros: nam eius in l. I exempla prostant 155, in l. V 160. Atque perpauci reperientur, hanc summam apud Propertium frequentiam qui affectaverint; nam etiam qui praecesserat Catullus in carmine 64 exempla habet 97 in 346 vv. bipartitis aut unum in $3^1/_4$. Sed enim pulcherrimum illud quod inter Vergiliana traditur poemation Copa inscriptum unum in $2^5/_7$ (7 inter 19); quodsi accedere videris PQS fere in quarto quoque versu, PQD fere in undevicesimo quoque, cum neque H. tr. neque PPS in tantula versuum copia momenti sint, non mirabor de Propertio huius elegiae auctore cogitantem; verissime certe Buechelerus in scholis de historia litterarum latinarum habitis Propertiani eam ingenii esse pronuntiavit. Iam vero ad Panegyricum in Messalam ut revertar, etiam huius in 83 non minus hexametris bimembribus idem invenietur aut semel fere in $2^1/_6$; apud ipsum Tibullum contra in libro I sexagiens quinquiens aut semel tantum in $4^6/_7$, quamquam unius formae repetitae molestiam hic multo magis pentameter leniisset interpositus!

Quoniam vero incidimus in reliquias incertorum, interpono in Priapeorum 98 hexametris frustra quaeri PPS, frustra amphibrachyn vocem ut in quinta sede (cf. pg. 25 sq.), ita etiam in altera. PQS tantum in septimo quoque versu (separandumne a reliquis carmen 20?), quod eo admirabilius est quia satis raro usurpatur H. tr. (semel in 24 vel 25 versibus). Haec igitur ars cum nullo plane poeta temporis Augustei conspirat. Commonefacit fere Atacini Varronis.

Ad Ovidium vero priusquam accedimus, alium iucundum

---

1) Similiter in Heroidibus unum inter $7^1/_2$.

erit praemisisse exeuntis Augusteae aetatis poetam non hercle malum, in quo non aliter atque in prioribus artem sentimus gradatim et studiose excultam, dico **Manilium** quem ferunt scriptorem Astronomicon. Apud hunc enim semel exstat

	PPS	PQS	H. tr.	F II
in l. I: in	$32^3/_4$(28)[1]	$3^{10}/_{11}$(235)	$7^5/_6$(118)	$27^1/_{17}$(34)
II:	29 (33)	$4^1/_4$ (226)	$7^7/_8$(123)	$30^1/_4$ (32)
III:	$42^1/_2$(16)	$4^{13}/_{14}$(138)	$8^1/_2$ (80)	$28^2/_5$ (24)
IV:	$46^1/_2$(20)	$5^1/_3$ (184)	$8^1/_5$(114)	$46^7/_{10}$(20)
V:	$38^3/_4$(19)	$5^1/_5$ (141)	$8^6/_7$ (84)	$49^1/_5$ (15).

Itaque F II : F III = 1 : $2^1/_2$ (I); 1 : $2^9/_{11}$ (II); 1 : $2^1/_3$ (III); 1 : $4^1/_3$ (IV); 1 : 4 (V). Progressum minutum quidem, sed ubivis planissimum non est quod verbis exprimam. Inclinat aperte poeta in abstinentiam duplicis caesurae. Adde haec: nam etiam verba qualia sunt Camena, poeta ut fluctuant in arsi secunda, ita in quinta rarescentia inveniuntur semel in l. I inter 116 vv. (8 ex.), II inter 139 (7 ex.), III inter $170^1/_2$ (4), IV inter $233^1/_2$ (4), V inter 248 (3). Denique in formis hexametri II et III neque admisit PPS neque PPD Manilius in libris V et IV, non nisi PPD admissum leges in libro III (v. 666), male etiam PPS in II et I (vide I, 666; 715. II, 315 (?). 196. 386).

Ceterum de lectionibus in hoc poeta indigne neglecto quas sim secutus hoc loco ratio non poscetur.

Sequitur **Ovidius** admirabilis sine dubio versificator et semper fere qui egerit fausta Minerva; neque male quispiam eius artem cum hac dea comparare possit armata quae ex

---

1) Summam hexametrorum hoc in libro inveni 919, quia scatet interpolationibus plerisque a Bentleio detectis; exclusi igitur vv. 38. 39. 336. 350. 435. 492. 493. Sed etiam v. 505 erit inter spurios; absurdum enim toto esse credo Bentleio, non credo notio aut hic scribendum esse aut v. 395. Notiam enim Manilius dixerat sphaeram illam caeli quam nos non spectamus antisciam (v. 446); confictus v. videtur ex v. 395 ubi toto optime legitur; igitur concinne in uno versu de Arcto, in uno de Orione agitur.

capite Iovis prosiluit. Modo hanc inspicias tabulam quam spero tibi satis facturam; neque enim tot millenos hexametros perlegenti omnes licebat ponere in calculo. Semel exstat

Heroid. 1. 2.	PPS.		PPD		PQS		PQD	
4.5.6.7.10.11:	in $50^1/_3$	(12 ex.)	6	(94)	$9^4/_9$	(64)	$11^{11}/_{13}$	(51)
Amor. I:	32	(12)[1]	6	(63)	$8^1/_4$	(47)	14	(28)
II:	40	(10)	$6^1/_3$	(64)	6	(69)	$13^1/_2$	(30)
III:	29	(15)	$6^2/_3$	(65)	$6^1/_5$	(70)	$12^3/_7$	(35)
Ars Am. I:	$29^8/_{13}$	(13)	$6^1/_{64}$	(64)	$8^1/_5$	(47)	$12^2/_5$	(31)
II:	$41^4/_9$	(9)	$6^1/_9$	(61)	$9^1/_8$	(41)	$11^1/_3$	(33)
III:	$81^1/_5$	(5)	$4^5/_6$	(84)	$6^4/_9$	(63)	$15^2/_3$	(26)
Rem. Am.:	58	(7)	$5^1/_3$	(76)	$5^2/_3$	(72)	$17^3/_5$	(23)
Metam. I:	$55^2/_5$	(14)	$4^1/_3$	(179)	$7^1/_2$	(103)	$10^1/_9$	(77)
X:	74	(10)	$4^5/_6$	(152)	$6^8/_{11}$	(110)	$9^1/_8$	(81)
Trist. III:	79	(5)	$6^1/_3$	(62)	$9^1/_3$	(43)	$12^7/_{10}$	(31)
V:	75	(5)	$6^1/_7$	(61)	$8^1/_2$	(43)	$11^1/_3$	(33)
Fasti I:	$72^2/_5$	(5)	5	(72)	$6^2/_3$	(54)	$9^1/_2$	(38)
II:	$61^5/_7$	(7)	6	(72)	$7^1/_2$	(58)	$9^2/_5$	(46)
Ep. ex Ponto I:	$54^5/_7$	(7)	$6^5/_6$	(59)	$7^1/_2$	(51)	12	(32).

Atque in re dactylica quoniam satis haec sibi constantem poetam demonstrant (laxior autem nisi fallor aliquanto in Transformationibus erat), ad rem saltem spondiacam confirmandam hos numeros adscribere pergo: semel est PPS Metam. II in $58^1/_3$ (15), V in $84^3/_4$ (8), XV in 176 tantum (5 ex.), Trist. II in $72^1/_4$ (4), Fast. IV in 119 (4), V in $91^3/_4$ (4), VI in 203 (2), Ibis in 320 (1), ex Ponto II in $63^1/_2$ (6), III in 184 (2), IV in 40 (11). Item semel est PQS Metam. II in $6^{10}/_{13}$ (129), V in $6^1/_{19}$ (112), XV in $7^3/_8$ (119), Trist. II in $7^2/_5$ (39),

---

1) Versum enim II, 10, 9 sq. nolo amplius ita legi: Errant ut ventis discordibus acta phaselos Dividuumque tenent alter et alter amor. Nihilne offendit? Amores duo errantne revera sicut phaselos? an potius poeta? Cum ventis discordibus duplex amor comparandus erat; legamus igitur necesse est: Errant*em* ut ventis discordibus acta phaselos Dividuumque tenent alter et alter amor.

Fast. IV in $9^1/_2$ (50), V in $6^1/_8$ (58), VI in 9 (45), Ibis in $6^4/_7$ (49), Ep. ex Ponto II in 7 (55), III in $6^4/_7$ (13), IV in $7^1/_5$ (61).

Ut summam conficiamus, quarti pedis artem Vergilianam fere et Tibullianam adsumpsisse dicendus est, nisi quod dactylicorum verborum volubilitatis gratia numerum auxit, magis expolivisse pedem primum; atque in hoc fastigium interdum artis[1]) adscendit veluti in libro quo Fastorum priorem partem conclusit, item in eo quo Transformationibus Augusteae laudis praeconium addidit (tersior in utroque etiam PQ, spissior H. tr.). Ceterum licet interdum ad humiliora lapsus sit dormitaveritque Homerus, tamen tenenda haec sunt, *et PQS non crebrius quam in sexto quoque versu usurpari* (Remedia sane Amoris exceptiuncula), *at multo saepenumero rarius, et PPS crebrius quidem quam in quadragesimo quoque non usurpari nisi in carminibus iuvenalibus* (Amor. I; III; Artis Am. I), *rarius autem quam in quinquagesimo quoque versu exstare solere inde demum a Transformationibus una cum libris ultimis aetatis amatoriae* (Artis Am. III; Remed.), *nunquam in libris prioribus!*

Transeo ad caesuram duplicem hexametri. Hac igitur usus Ovidius est in Heroid. 1. 2. 4. 5. 6. 7. 10. 11 semel in $9^4/_9$ vv. (64 ex.), Amor. I in $12^1/_2$ (31), II in 14 (29), III in $13^5/_8$ (32), de Medicam. Formae in 10 (5), Art. Am. I in $9^7/_8$ (39), II in $7^1/_4$ (52), III in $11^7/_{12}$ (35), Metam. I in $9^2/_7$ (84), II in $11^7/_{12}$ (35), V in $9^4/_5$ (73), VIII in 9 (98), XII in $11^1/_5$ (56), XV in $7^5/_8$ (115), Trist. II in $19^1/_2$ (15),

1) Vocabula autem hoc versus loco potissimum frequentata sunt fere *nondum* et *quamvis* et *felix* et pronomen aliquod cum violentia et plerumque per anaphoram praemissum et *ergo*. Et quidem non pauci loci sunt ubi pro *ergo* exspectemus *ergo ego*, quod scis valde amari et ab aliis et ab Ovidio, velut Amor. I, 2, 49; II, 7, 1; Metam. V, 504; Trist. II, 543; Heroid. 20, 31. Ita ad Propert. II, 8, 13 *ergo ego* pro *ergo* coniecit Heinsius.

IV in $25^{2}/_{3}$ (13), Fast. IV in $12^{1}/_{5}$ (39), V in $14^{1}/_{9}$ (26), VI in $8^{1}/_{2}$ (48), Ibis in $53^{1}/_{3}$ (6), ex Ponto II in $25^{2}/_{5}$ (15), III in $28^{1}/_{3}$ (13).

Unde hoc saltem colligere licebit, genus illud hexametri Ovidio cum minus quam Tibullo Vergilio in deliciis fuerit, tum inde a Tristibus — nisi quod Fastos epicos Transformationum consuetudini accommodabat — duplo fere rarius quam antea esse admissum. Quid quod sex tantum in Ibide ei metra concessit! Callimachi videlicet etiam hac in re vestigia premere conatus est.

Forma II aliena ab Ovidio est et in elegiacis aut adolescentis arti condonanda (Amor. III 1, 25. 7, 53. Her. 2, 37) aut nominis proprii necessitati (Fast. IV, 483). Nam in talibus quale est: Talis eras. Aquilamque in te taurumque timebam (Amor. I, 10, 7) et quidem raris etiam his (cf. Heroid. 1, 87. 11, 81. Trist. IV, 10, 7. II, 87) potius semiquinaria caesura quamvis subdura tribuenda est Ovidio. Eadem semiquinaria obscurata legitur in Metam. libro I bis, II quinquiens, V quinquiens (vide praecipue v. 543), septiens in XV, ter in VIII, in XII quater. At in iisdem nonnunquam etiam haec deficit excusatio (vide VIII, 509. XII, 167. 506. XV, 862).

Iam notam certam tenemus perspicuamque formulam qua freti vera Ovidiana facilius agnoscamus confidentiusque ab iis discernere possimus quae iniuria tanto ornata nomine circumferuntur. Quaestionem autem de Heroidum Epistolis iis quas non enumeravit sibique vindicavit Ovidius in Amorum l. II el. 18, spinosis eam rationibus mirum quantum impeditam atque huius aperte loci finibus ampliorem, nunc sepono alias si diis placet resumpturus. Pauca de Halieuticis; de quibus mihi non ad manum venisse doleo quae Zingerle disputavit: de Halieuticon fragmento Ovidio non abiudicando (Veronae 1865). Nihilo minus ne dissimulem quae memorabilia mihi obtigerunt, nihil me magis ad dubitationem vo-

cavit his versibus; quorum sermonem quidem omnino Ovidi non esse eius quo nemo magis sui ubique in elocutione similis est, persensit olim non ex vano criminator Ianus Ulitius; adsensit Wernsdorfius. Qua de re singula nunc non prompturus versum adprime 130 castigasse satis habeo; nam et nocuus non plane ex innocuus effictum est quod frequentabat Ovidius neque verba non ulla pro nulla tam turpiter usquam apud Nasonem inveni collocata. De arte autem hexametrica haec observantur: primum hexameter tripartitus deciens quinquiens exstat aut in $8^3/_5$ vv. semel, hoc est duplo aut etiam triplo crebrius quam senem Ovidium decebat (nisi ad Fastos refugies); duo autem vv. non minus (3 et 15) ad F II proxime accedunt id quod multo rarius ille sibi concedebat. Porro semel exstat PPS in $21^2/_3$ vv. (6 ex.), PPD in 7 (19), PQS in $5^1/_6$ (25), PQD in $32^1/_4$ (4); vides sub PQD infrequentiam omnino insolitam, vides et PPS et PQS tam moleste cumulatos, ut vix de Ovidio, certe non de sene Ovidio liceat cogitare [1]). Porro post quartum trochaeum in Halieuticis bis tantum aut ter (si in v. 28 Hauptius sequendus est) novum incipit vocabulum, hoc est semel in 55 versibus bipartitis aut semel in 37, at in elegiarum ex Ponto IV, 1—8 versibus 164 bipartitis noviens aut in 18 semel. Porro cum per totam et longam vitam poeta perque hexametros innumeros haud raro quidem admiserit formam quam V signavimus, at formam IV quasi odiosam semper relegaverit (cf. pg. 15), in hoc fragmento minuto credibilene est bis eum legem suam subita inconstantia voluisse migrare (vide v. 11 et 104)? Porro liceat forsitan urguere etiam legem duplicum consonantium his verbis lamyrosque *sma*-

1) Neque enim carmen de Medicamine Formae quippe adolescentis contra adferes; quod licet exhibeat PPS in 25 vv. semel, PPD in $3^1/_2$, PQS in $5^1/_2$, PQD in $8^1/_3$, tamen etiamsi senis esset, parvi esset momenti quia 50 tantummodo continet hexametros; solet enim Ovidius in brevi spatio quae peccavit mox maiore expiare elegantia. Ceterum adnoto Riesium hoc carmen abiudicavisse Nasoni.

risque (v. 120) vitiatam; quae enim conferuntur nomina Zacynthos (Heroid. 1, 87) et smaragdi (Amor. II, 6, 21. Metam. II, 24), brevis syllaba quibus antecedat, haec nimirum aliter omnino non poterant ad metrum accommodari; smaris vero unam thesin feliciter explevisset. Positionem denique nominum duorum inter se respondentium in fine utriusque partis hexametri bipartiti apud Ovidium exstare inter 7 aut 8 vv. semel docuimus supra; at in Halieuticis exstat inter 5 (22 exempla) — id quod concinit potius cum Gratio idem semel exhibente in $4^{5}/_{12}$ vv. bipartitis (143 ex.). Itaque aliquatenus invenisse videbimur in Halieuticis indicia quae adhuc invenienda esse dixerat Hauptius (praef. pg. XX) ad suspectandum nostrum fragmentum. Neque tamen testificationem Plini (32, 2 et 11) conarer cum eo ita circumire, ut vero Ovidi carmine amisso nostrum ex Plini verbis sumptum esse dicerem et adauctum aliis; nam Hauptius et ipse statim contra disputat et opponi poterit fortasse praenatandi vocabulum quod Plinius cum ita applicet (9, 45): praenatante pisciculo (cf. etiam 9, 62 (88)), ex nostri carminis v. 15 addidicisse videtur (aliter habet Vrgl. Aen. VI, 705). Itaque veri similius fragmentum hoc cum erraret sine scriptoris nomine per coniecturam datum Ovidio esse eamque rem imposuisse Plinio perinde ac Lucano de Culice.

Eo tamen non provehor ut meam faciam sententiam Uliti atque Wernsdorfi de **Gratio** Halieuticon scriptore; neque enim praeterquam in paucis rebus reliqui Grati numeri ab illis non dissentiunt hi: semel exstat PPS in $14^{1}/_{6}$ vv. (38 ex.), PPD in $8^{1}/_{8}$ (66), PQS in $4^{23}/_{28}$ (112), PQD in $24^{1}/_{3}$ (22), denique H. tr. in $5^{4}/_{7}$ (97), at F II in $38^{4}/_{7}$ (14); itaque F II : F III = 1 : 6. Atque primus pes cum ita male se habeat, accedere praeterea ad PPS videtur versus 540. Nempe versu 538 poeta finiverat de equis expositionem locutus pauca (inde a v. 536) de coloribus; placent enim nigri et caerulei, albi et gilvi displicent; cf. Vergili Georg. III, 81; itaque melius corruptum est pro quo albus flagitatur; scripsisse videtur

Gratius: Venanti *maelis* pugnat color; maeles enim animal ut etiam v. 402 commemoratur, ita v. 340 canum esse docemur. Deinde ita fere pergendum: Optima nigri

Ora[1]) illi, badiosque legunt glaucosque periti

Et quorum fessas imitantur terga favillas[2]);

tum vero nova incipit pars fortasse finalis, cuius primi quidem versus incerta lectio, alter hic est:

Omnis et terras omni praecepimus[3]) usu.

Versus 482 non sine aliqua audacia sanabitur quem ad H. tr. adnumeravi etsi solet legi: Supplicibusque vocanda sacris tutela deorum. At deest que in Vindobonensi eoque infringi sermonem sensit L. Muellerus (de re metrica pg. 200); simul vocanda satis delumbis vox, id quod non emendatur Muelleri proposito vocitanda, quod insuper ut ad manum est ita non placuit sermoni latino. Subesse potius arbitror: Supplicibus *sociand*a sacris tutela deorum; ita ut sociare pro sociam facere Gratius dixerit audacter fortasse sed tamen quocum conferre liceat locum Culicis (v. 193) ubi casus pastori opem sociat, hoc est sociam facit.

Superavimus fere campum aetatis Augusteae. At novus atque vastior emergit **saeculorum sequentium**. Hunc tamen spero satis fore permeari passibus celerioribus.

Et primum quidem ars humilior non cessabat; quod ex formis spondiacis imprimis cognoscetur; modo Petroni Bellum Civile (cp. 119) inspice qui ad hos numeros descendit: semel exstat PPS in $9^5/_6$ vv., PQS in 4[4]); in quae optime quadrant ceteri 141 hexametri per sermones dispersi ita: PPS semel in $9^2/_5$; PQS in $3^3/_4$[5]). Quos numeros si consideras

1) Melius quam ora non praesto est; licet fortasse conferre Vergili A. VII v. 575: reportant ora Galaesi.

2) Nigra enim aut atra favilla est: cf. Ovidi Trist. V, 5, 36. Metam. XIII, 603. Vergili A. V, 666.

3) Melius leges: praecedimus.

4) Ad PPS exempla 30, ad PQS 74.

5) Ad PPS exempla 15, ad PQS 38.

desines puto credere aut epigrammata Anthologiae Lat. apud Riesium 690—707 (apud Buechelerum sub numeris 26. 31. 32. 34—39) auctoris eiusdem esse (in quibus PPS semel est in 24 vv., PQS in $5\frac{1}{3}$) aut carminum apud Riesium 466 et 476 (Buecheleri 27 et 28) versus viginti duos (quorum purus primus pes, PQS semel in 7 vv.) [1]. Contra de Somniis carmen (Buecheleri 30; Riesi 651) PPS semel in 8 vv. exhibens, PQS in fere 3, sinceri sui testis fidem non elevat, codicis Ausoni Vossiani qui praeter hoc ipsum et c. 650 Riesi (29 Buech.) non nisi vera Petroniana praebet ex Satirarum capitibus 14 et 83 (cf. Peiperi disputationis in Mus. Rhen. tom. XXXI pg. 190).

Semel Germanicus in Phaenom. Arateis:	PPS in $11\frac{1}{2}$ (62)	PQS in $4\frac{1}{3}$ (163)
Semel Columella de r. r. l. X:	PPS in 218 (egregie! sed)	PQS in $4\frac{1}{2}$ (98)
Semel Homerus Latinus:	PPS [2] in $26\frac{1}{10}$ (41)	PQS in $4\frac{1}{3}$ (247)
Semel Aetna carmen:	PPS in $16\frac{1}{2}$ (39)	PQS in $6\frac{3}{13}$ (102)
Semel Silius Italicus (l. VI):	PPS in $16\frac{2}{3}$ (43)	PQS in $5\frac{3}{4}$ (124) [3]
Semel Nux elegia:	PPS in $30\frac{1}{3}$ (3)	PQS in $4\frac{1}{2}$ (20).

1) Firmari haec videntur etiam duplicis incisionis frequentia. Exstat enim semel in cp. 119 inter 11 vv; F II semel inter 49 (F II : F III = 1 : $3\frac{1}{2}$); in epigrammatis 26. 31. 32. 34—39 apud Buech. semel inter $13\frac{1}{3}$, sed deficiente F II; in frgm. 27 et 28 Buech. semel in $3\frac{1}{2}$! Vides quid valeat ratiocinatio Baehrensi quae in Mus. Rhenani tom. XXXI huius anni legitur pg. 257, cum non solum de c. 466 et 476, sed de omnibus 427—479 apud Riesium dicat: Es besteht zwischen diesen Gedichten einerseits und den Satiren sowohl als den durch Binetus aus dem Cod. Bellovac. edirten andrerseits eine solche Aehnlichkeit nach Form und Gedanken, dass nur, wer alles schwarz auf weiss verlangt, den gemeinschaftlichen Verfasser ableugnen kann!

2) In hoc notabile est versus spurios apud Wernsdorfium 587 et 603 et 736 habere PPS.

3) Inertia Sili eo maior est, quod verbum amphibrachy in quinta sede non dedignatus est in $37\frac{2}{3}$ vv. semel ponere.

Lucanus vero sicut in oratione ita in arte metrica subitus est neque satis aequabilis; habet enim semel PPS libri I in 30, II in 21, III in 21$^{1}/_{6}$, V in 34, VI in 32, VII in 34, X in 26 [1]), item PQS I in 4$^{9}/_{10}$, II in 6$^{1}/_{7}$, III in 4$^{1}/_{2}$, V in 7$^{2}/_{13}$, VI in 5$^{3}/_{10}$, VII in 6$^{1}/_{6}$, X in 5$^{5}/_{8}$.

Inter hos duplicem caesuram minus affectaverunt Petronius cuius numeros descripsimus in adnotatione, Columella (semel in 12$^{1}/_{9}$ vv.), Nucis poeta (in 13 semel); saepius Germanicus (s. in 8$^{5}/_{8}$) et Homerus Latinus (8$^{1}/_{22}$) et Aetnae poeta (7$^{1}/_{92}$), saepius etiam istis Silius Italicus (6$^{2}/_{3}$) atque Lucanus cuius hi sunt numeri: libri I unum exemplum in 6$^{3}/_{14}$ vv., V in 4$^{1}/_{6}$, VII in 5$^{1}/_{5}$, X in 4$^{2}/_{3}$.

Fuerunt tamen qui etiam magis istis odissent quartum pedem cum fine definiri vocabuli; interque hos si fidem habemus reliquiis inique decurtatis facile primus est scriptor carminis de bello Augusti Aegyptiaco quod servatum est in papyro Herculanensi (A. L. Riese 482); is enim, imitator nisi fallor et Vergili et Ovidi, praeterquam quod inter 53 initia versuum servata nunquam PPS formavit — nam v. 27 pro Parthos Ciampittiano incipiendus potius sic: *Parthica* qui posset Phariis subiungere regnis —, PQS semel tantum exhibet (v. 56); sin autem in v. 57 ubi nec urbem certissimum est quod Fea invenit ita etiam Ciampittius sequendus est ut scribatur: *Ferrea firmantur* por*tar*u*m* *cl*austra, inter 29 potius versus semel PQS legetur [2]). Contra idem versui tripartito curiose studebat; potuit enim in v. 28 facile scribere: Qui nostraeque mori statuit pro nomine gentis; maluit tamen magis postponere coniunctionem que ita: Qui statuit nostraeque mori pr. n. g. Est

1) Hoc certe praeclare his numeris probatur Lucanum non esse praecipuum — id quod dixit L. Muellerus de re metr. pg. 210 — spondiaco verbo in principe sede collocando.

2) Tamen litterae M in effigie papyri spatium non satisfacit. Potuit scribi etiam hoc: Curatum est teneant portas ut claustra.

autem haec forma semel in $4^{1}/_{4}$ vv.; neque enim in v. 25 ex litteris t . . . n enucleare quidquam valeo praeter tamen (in papyri imagine si forte spatium non sufficere videatur, non nimiam ei fidem esse concedet qui primam maxime pagellam [1]) curiosius examinaverit), ita ut locum sic constituam:

Consilio iaceam ne n*unc deserta meorum,*
Saepe e*go* quae ve*st*ris cu*rae se*rm*o*nibus, *oro.*
Qua*e fu*gitu*r mors laeta;* t*ame*n nunc quae-*rere ca*usas
Ex*sig*u*asque m*or*a*s vitae libet.

Ceterum his de fragmentis quamvis turpiter iacentibus abs re foret apponere quae excogitavimus.

Eandem duplicis caesurae frequentiam appetiisse videtur etiam Pedo Albinovanus, apud quem semel est in $4^{2}/_{5}$ vv. (consulas eius 23 metra apud Senecam Suas. I, 15); neque tamen ille assecutus est ut spondeus distinctionem bucolicam praecederet rarius quam fere in tertio quoque ($3^{1}/_{7}$) versu!

Qui vero eo usque tripartitis delectati processerunt ut semiquinariae primarium suum in heroica [2]) arte locum dare ferme obliviscerentur, taedium effeminata hac movent elegantia, vera sublata sublimitate nervoque antiquo. Talis est C. Valerius Flaccus adplicavitque caesuram duplicem in l. I semel in $3^{1}/_{6}$ vv. (237 ex.) III in $3^{1}/_{12}$ (240), VIII in $3^{1}/_{2}$ (135); ideo PQS non spissior quam semel in $11^{1}/_{3}$ vv. (I; ex. 75) aut $12^{4}/_{5}$ (II; ex. 52) aut $9^{4}/_{5}$ (III; ex. 76) aut $14^{1}/_{2}$ (VIII; ex. 32). Eiusdem PPS semel est in 53 (I) aut $66^{1}/_{2}$ (II) aut 123 (III) aut $58^{1}/_{2}$ (VIII) hexametris.

Denique etiam hanc abundantiam metri triplicati exaggeravit saeculo sequiore qui scripsit Epistolam Didus ad Aeneam (A. L. Ries. 83) quique Phaedrae 20 hexametros (Ries. 279); est enim in illa semel inter $2^{3}/_{5}$ vv. (59 ex.),

1) De hac enim qui mea gratia papyrum ipsum consuluit, Fr. de Duhn amicus, iudicium meum firmavit.

2) In elegiaca enim quousque procedere licuerit ex Tibulli c. I, 10 supra monstravimus.

in hac inter $2^6/_7$ (7 ex.); nihilo setius haec ars quam humilis sit evincet et PQS unus in $7^1/_3$ (21 ex. in Didus Ep.) aut 5 (4 ex. Phaedrae) hexametris, magis etiam PPS unus in 14 (Dido) — atque hoc, quamquam et tam rara est ut diximus semiquinaria, et amphibreve in quinta arsi vocabulum non rarius quam semel in $38^1/_2$ vv. occurrit (Dido), in secunda idem etiam in $11^5/_6$ non minus (Dido) aut 10 (Phaedra)! Arte haec carmina ita similia inter se ut Vincenti utrumque esse credideris; neque enim insuper aut hic aut illic synaloephe ulla admissa est praeter eam quam neque ex Calpurnio Hauptio removere contigit, dico miserasque alitura (Dido 56) atque oscula (Dido 110) Venerisque insignia (Phaedra 18); neque ulla duplex caesura deficiente trochaica in tertio pede — nisi forte utrique observationi obicias versum Didus 24; ibi enim pro redens codicis quoniam probabilem lectionem nondum vidi propositam, et litteris et sensu valde commendabitur haec: Flamma nocens irata *ardens.* Tamen exquisiti quiddam inesse non infitiaberis in hoc Ovidi sectatore[1]) ac tam stolidum eum vix habebis, ut de Vesuvio Dido loquentem fecerit; fortasse scribendum in v. 78: Gemmatis roscida *veris* Rident prata rosis.

F II apud plerosque obtinuit. Hanc modo tabellam vide:

Semel exstat		F II		F II:F III
in Germanici Phaen.	in vv.	$22^1/_3$	(32 ex.)	$1:1^5/_8$
„ Sili l. VI	„ „	$27^2/_3$	(26)	$1:2^1/_9$
„ Columellae l. X	„ „	$54^1/_2$	(8)	$1:2^1/_2$
„ Petroni cp. 119	„ „	$49^1/_6$	(6)	$1:3^1/_2$

1) Nam etiam strophicam versuum dispositionem ex Ovidi Amoribus et Heroidibus adsumpsit; excidisse enim versum arbitror minus post rosis in v. 81 quam post v. 79, ne et rosae et flores statim legantur iterata. Sed enim eadem de causa eiciendus est versus 107 qui ut turbat responsionem, ita vitium continet prosodiacum; improbabiliter enim Oudendorpius figebat pro fovebat supposuit — illud mox legemus in v. 110. Nimirum Ascani nomen desiderabat interpolator.

		F II		F II:F III
in Homero Latino	in vv.	$56^1/_3$	(19)	1:6
„ Aetna carmine	„ „	$80^5/_8$	(8)	$1:10^1/_2$
„ Valeri Flacci l. I	„ „	$21^3/_4$	(39)	$1:5^1/_3$
„ „ „ III	„ „	$19^1/_2$	(38)	$1:5^1/_3$
„ „ „ VIII	„ „	$13^1/_3$	(35)	1:3

Itaque Silius etiam hic fere infimo loco; laudabilis cum Homerus Latinus, tum scriptor Aetnae; quorum item neuter in H. tr. unquam admisit aut PPS aut PPD. Valeri vero aliquanto decrescere elegantia videtur. Abstinuerunt a F II et Aegyptiaci belli scriptor et Nucis et Seneca et plerumque Lucanus; certa enim exempla cum apud hunc decem tantum insint in librorum I V VII XII versuum tribus milibus, ita ut in versibus quales sunt VII, 284 et 433 synaloepha penthemimeren non sublatam esse dicamus, adipiscimur formulam hanc : F II : F III = 1 : 57.

Haec hactenus. Atque modo sistas pedem de caesuris dicta reputans. Drobischi enim tabellas quas initio commemoravimus si iterum inspicis, formam quam dsds notavit invenies omnium frequentissimam esse apud Valerium Flaccum et Lucanum, quintum apud Silium locum tenere, item apud antecedentes omnes esse inferiorem et cum in altero stet apud Maronem, apud Ovidium demum in tertio. Quae varietas — id quod verbis vix indiget — ex hoc quem numeris confirmavimus tertiae formae usu explicatur nunc spreto nunc adaucto [1].

Calpurnium desideras; seposuimus et hunc et Nemesianum et Panegyrici scriptorem in Pisonem. Apud quos semel exstat

	PPS		PQS		PPD		PQD		H. tr.	
Paneg.:	in $23^4/_5$	(11)	$4^1/_{11}$	(64)	$4^5/_8$	(56)	$12^3/_7$	(21)	8	(33)
Calp. Ecl. [2]:	$34^1/_2$	(22)	$5^3/_7$	(140)	$3^7/_8$	(196)	$5^{19}/_{27}$	(134)	10	(77)
Nemes. Ecl.:	24	(13)	$4^3/_7$	(70)	$5^1/_2$	(56)	18	(17)	7	(45)
Nemes. Cyneg.:	36	(9)	$5^5/_7$	(57)	$7^2/_9$	(45)	15	(22)	$4^2/_5$	(74)

1) Addo Valeri Flacci F III esse in l. I semel in $4^1/_4$ vv.

2) Minus elegans ceteris prima eius ecloga hos propter numeros: semel PPS in 19 vv., PQS in 4, PPD in $3^5/_6$, PQD in $6^5/_7$.

Itaque differentia aliqua non latebit inter Nemesiani et Calpurni Eclogas praesertim PPS et rem dactylicam examinantibus. Accedit quod tales hexametri quales sunt Ecl. IX, 2 et 9 qui ad F II invitant constituendam absunt a Calpurnio (similes in Cynegeticis prostant octo, certa vero F II quinquiens); denique duplicem incisionem post primum simul et secundum trochaeum Nemesianus ponere noluit aut in Eclogis aut in Cynegeticis, eandem post quartum simul et quintum trochaeum semel posuit aut in 310 tantum versibus (Ecl.) aut in 108 (Cyneg.); at vero Calpurnius hanc non rarius quam in 45 semel, illam in 95. Atque hac quidem in re optime congruit cum Calpurnio Panegyrici ars utramque semel exhibens inter versus 52; item apud neutrum F II; nihilominus numeris reliquis ut artis aliquis progressus potest sumi, tamen ad certum coniectura non corroboratur de Calpurnio Panegyrici auctore [1]). Placet tamen hoc loco inserere haec: bucolica enim carmina quae ex codice Einsidlensi nuper innotuerunt (apud Riesium A. L. 725 et 726) quaeri quidem potest uniusne poetae sint an duorum; quoniam vero diversitas ingeni in utroque satis plana agnita est ab Hageno (Philolog. XXVIII pg. 338 sqq.; Fleckeis. Annal. CIII pg. 139 sqq.), computantes numeros quamvis minusculus utriusque sit ambitus, non est cur uni dare obstinemus; cum enim H. tr. in N. 725 sit sexiens (semel in $7^5/_6$) at bis F II, in N. 726 nulla F II, quia in v. 7 praesertim propter PPD semiquinaria agnoscenda est, sed F III quinquiens (semel in $7^4/_5$); porro PPS in 726 semel inter

1) Weberus autem quae contra dixit (Paneg. praef. pg. 14 sq.) non ita magni facio; immo quod pausa est in fine tertii pedis semel apud Paneg. in $39^2/_7$ (7 ex.), apud Calp. in 95 vv. (8), etiam hoc poterit pro artis progressu accipi; magis etiam quod pausa post quartum trochaeum semel apud Paneg. in 18, apud Calp. in 11, volubilitatem augere voluisse Calpurnium statui potest. Atque etiam de elisionibus Weberus parum Hauptium audivit; sunt enim in Calpurnio non plus undecim.

$6^1/_3$ (!), in 725 semel tantum in 47 vv. legitur [1]). Lubrica via utimur: tamen scis iisdem verbis incipere et secundum nostrum carmen et Calpurni quartum: Quid tacitus Mystes? Quid tacitus Corydon? Probabiliter Buechelerus (in Mus. Rhen. XXVI pg. 240) non Anonymum sed ipsum Calpurnium statuit esse imitatorem; ideo arridebit quod illi Meliboei, huic Corydonis personam tribuit; ille enim est apud Calpurnium qui ipsis verbis laudatis sermonem incipit. Meliboeum autem Calpurni quippe fautorem ante Hauptium plerique Senecam esse affirmabant; iam si Senecae 49 in Apocolocyntosi hexametros consulis, ut aliqua intercedere videatur similitudo (apud Sen. PPS semel in $8^1/_6$, Anon. in $6^1/_3$; apud Sen. PQS semel in $3^2/_3$, An. in $4^3/_4$), tamen F III Seneca exhibet semel in $4^1/_2$, Anonymus in $7^4/_5$; porro apud Senecam nulla omnino elisio [2]) (cui tamen in aliis metris indulsit!), nonnullae apud Anonymum (v. 7. 17. 25); denique hic numquam post quartum trochaeum vocabula dirimit, Seneca frequenter. Itaque si minus Senecam, num potius Pisonem Calpurnius imitatus est?

Ceterum Nemesianus, nisi forte alius bucolicus est, alius cynegeticus, artis emendationis documentum luculentissimum erit, licet in Cynegeticis quasi in re magis ardua minus spernatur F II; atque perinde ac Vergili Bucolica Georgicis antecesserunt, Eclogas quattuor prolusisse Carthaginiensis videtur arti venandi; id quod ab ipso poeta indicari in Cynegeticis

1) Reliqui numeri: semel in c. 725 PPD in $5^1/_3$, PQS in $3^1/_3$, PQD in 16, in c. 726 PPD in $6^1/_3$, PQS in $4^3/_4$, PQD in 19. Nam in v. 28 prioris carminis certe non post ostro excidit vocabulum, sed ante stetit, iubente lege duplicum consonantium.

2) Neque in 32 hexametris quos continent tragoediae Oedipus et Medea elisio ulla invenitur; itaque haec una causa sufficit, ut epigrammata illa sub Senecae nomine quae circumferuntur quasi spuria abiciamus! Ceterum etiam in his tragoediarum hexametris PPS semel adest in 8 vv., PQS in 4! Tamen duplicem caesuram hic fugere Seneca maluit (semel in 16) ad sonum tragoediae severum minus aptam.

(v. 59 sq.) nescio num animadversum sit; nunc enim se lupos quaerere dicit et felem minacem

> Dum non magna ratis vicinis sueta moveri
> Litoribus tutosque sinus percurrere remis
> Nunc primum dat vela Notis eqs.

Tutior enim haec ars et tranquillior cui olim parebat, pastoralis cantus videbitur.

Velim etiam ad Elegias quas duas distinxit Scaliger in Maecenatem te convertas; antea enim quam Hauptius de Epicedio Drusi Lips. 1849 egit, Epicedii scriptori etiam illas deberi consentiebant et propter verborum similitudines et quod modo Drusum iuvenem deflevisse poetam satis dilucide apparebat ex vv. I, 1 sq. et II, 4. Tamen ars hexametrica si spectatur, color non una in re diversus patescit.

Semel enim exstat

	PPS	PPD	PQS	PQD	H. tr.
Maecen.: in vv.	18 (5 ex.)	4 (22)	$6^{11}/_{13}$ (13)	30 (3)	8 (11)
Epic. Drusi:	237 (1)	6 (44)	$7^{1}/_{3}$ (32)	10 (24)	$7^{1}/_{3}$ (32).

Formae II exemplum non est nisi in Epicedio (v. 35); item iuxta duplicem caesuram PPD admissus (v. 259). Gravissimum vero: cum in Maecenatianis numquam quartus simul et quintus trochaeus distinguatur, putide res ea recurrit in Consolatione semel in $19^{3}/_{4}$ vv. (12 ex.), cuius simile apud heroicos, nedum apud elegiacos numquam me legere memini. Itaque etiam postea quam Haupti iudicium Consolationem citra veram esse antiquitatem refutatum erit, in hoc me iudice semper Hauptius sequendus, doctum aliquem poetam Maecenatianorum lectione incitatum elegos quos desiderabat de Druso substituisse. Versus autem elegiae in Maec. prioris 19 et 20 non delendi sunt, sed coniunctione copulandi cum antecedentibus ita: Vincit volgares *veluti* beryllus harenas Litore in exstremo quas simul unda movet (quas enim Vossiani si simul ad beryllum refers, de versu 20 parcetur coniecturis). Igitur Minervae Apollinisque decus ita est, velut beryllus volgares harenas vincit; sciendum est enim

Maecenatis sermonem a volgari toto caelo abfuisse; isque quod a Seneca Epist. 114 § 4 sqq. castigatur, haec ipsa videlicet Senecae verba poeta respexit [1]). Respici quidem Senecam iam Hauptius dixerat l. l. pg. 31, sed ita ut sententias suas poetam ridicule ex eo sumpsisse statueret. At enim acri studio pugnat contra Senecam ita ut quasi lemmata verba illius repetat refutandi gratia. Hac una de causa ad Minervam et Apollinem poesinque Maecenatis statim adnectit: Quod discinctus eras; nam id prope carpitur unum: quoniam etiam philosophus in sermone Maecenatis iudicando (ad quod iudicium confer verba in quibus Maecenas cogitatur El. I v. 68: Et tibi consulto verba fuere nova!) eum dixerat discinctum moribus. Item in v. 25 (Livide, quid tandem tunicae nocuere solutae) ipsum Senecam adpellare videtur apud quem haec sunt: qui solutis tunicis in urbe semper incesserit. Item vv. 39 sqq. opponuntur iis quae de Maecenate qualis fuerit belli temporibus exhibet philosophus: cuius rei acumen mirum quantum augebitur si in v. 39 scripseris: Quid faceret? *Discinctus* erat comes impiger idem Miles et Augusti fortiter usque [2]) pius. Mansuetudinem in eo non negat fuisse Seneca quoniam nulla alia re quid posset quam licentia [3]) ostendit; ideo poeta dicit v. 15: Omnia cum posses tanto tam carus amico Te sensit nemo posse nocere tamen [4]). In versu vero 50 fortasse legendum: Somnia victores Marte sedente decent (codd. Omnia; Buechelerus Mollia), quoniam somnia lu-

---

1) Frustra enim nec gravibus argumentis contra dixit L. Muellerus in Mus. Rhen. XXIII pg. 657 sq. sub finem Augusteae aetatis scriptas elegias esse existumans.

2) Vulgo fortis et usque; gravior haec esse videtur corruptela.

3) Clementia amicus.

4) Tamen non rara haec sententia; cf. Ausoni in Septem Sapient. Bias v. 6: Quod prudentis opus? Cum possit, nolle nocere.

xuriae sunt (cf. Culicis v. 60) et cultum indicant Musarum (somnia Callimachi Prop. III, 34, 32; cf. Martial. XII, 68, 5[1])). Hoc enim loco spectare poeta poterat quae de somni excitandi artificiis Maecenatis philosophus narrat de Providentia cp. 3. Quibus perpensis non aliquot post Christum natum saeculis scriptos hos elegos esse Hauptio credes, sed statim post Senecam; neque enim inventa esse posse videntur quae de Lollio legis v. 9 sqq.

Aliqui supersunt numeri primum satiricorum Persi Iuvenalis epigrammatici Martialis quorum inconstantius dicendi genus comparens etiam in re metrica satis habeo degustari: semel exstat

	PPS	PQS	H. tr.	F II	F II : F III
Persi in	50vv.(13)	$4^{1}/_{3}$(150)	$16^{1}/_{4}$(40)	$34^{1}/_{5}$(19)	$1:1^{1}/_{10}$
Iuvenal. I. II:	19 (18)	$6^{7}/_{10}$(51)	$8^{1}/_{8}$(42)	$21^{1}/_{3}$(16)	$1:1^{5}/_{8}$
XIII:	$49^{4}/_{5}$ (5)	$4^{4}/_{5}$ (52)	$7^{1}/_{2}$(33)	$16^{3}/_{5}$(15)	$1:1^{1}/_{5}$
XIV:	$19^{1}/_{2}$ (17)	$6^{5}/_{13}$(52)	8 (42)	$18^{1}/_{3}$(18)	$1:1^{1}/_{3}$
Martialis I:	$14^{2}/_{3}$ (18)	7 (38)	$15^{1}/_{2}$(17)	—	—
XII:	$31^{1}/_{2}$ (6)	$8^{1}/_{5}$ (23)	$7^{2}/_{7}$(26)	$94^{1}/_{2}$ (2)	1:12.

F II Martialis inde a quinto demum libro et semper quidem raro admittit. Sulpicia vero in satira una (sunt autem non minus 70 hexametri) miro modo semel tantum PQS exhibet, nusquam PPS, at verbum amphibreve circa arsin quintam semel in $17^{1}/_{2}$ vv., ad quem fere numerum Martialis unus in ultimo demum libro descendit (14 exempla aut unum in $13^{1}/_{2}$).

Sequuntur poetae hi:

Semel exstat

	PPS	PQS	H. tr.	F II	FII:FIII
Stati Theb. X: in	$72^{1}/_{4}$(13)	$13^{7}/_{9}$ (68)	$5^{1}/_{3}$(185)	$44^{5}/_{7}$(21)	1:8
Silv. I:	29 (17)	8 (63)	$4^{2}/_{5}$ (87)[2]	$42^{2}/_{3}$ (9)	$1:8^{2}/_{3}$
Silv. IV c. 1. 2:	57 (2)	$8^{5}/_{7}$ (13)	$4^{2}/_{9}$ (27)	57 (2)	1:12
Silv. V c. 1. 2:	$44^{1}/_{5}$(10)	$9^{3}/_{5}$ (46)	$4^{5}/_{6}$ (92)	$55^{1}/_{4}$ (8)	$1:10^{1}/_{2}$

1) Qui si dixit: (Sum) piger et senior Pieridumque comes; Otia me somnusque iuvant — somnus ab eo pro somnio positus videtur velut Propert. II, 7, 11.

2) Caesuras non nisi ex carminibus 1 et 2 huius libri computavimus.

	PPS	PQS	H. tr.	F II	F II:F III
Silv. V 3:	42 (7)	$9^{1}/_{2}$ (31)	5 (58)	42 (7)	1: $7^{1}/_{2}$ [1])
Ausoni Mosella:	18 (21)	7 (69)	7 (68)	$34^{1}/_{2}$ (14)	1: 4
Claudiani Rapt. Pros. I:	$20^{2}/_{5}$ (14)	$6^{1}/_{3}$ (42)	$3^{1}/_{2}$ (80)	288 (1) [2])	—
II:	$20^{2}/_{3}$ (18)	7 (53)	$4^{2}/_{3}$ (53)	—	—
Lactanti qui fertur c. de Phoenice (A. L. Ries. 731):	$40^{1}/_{2}$ (2)	$4^{1}/_{2}$ (18)	27 (3) [3])	—	—
Satis elegans					
Prudentius in Apotheos. vv. 1—753:	$34^{1}/_{3}$ (22)	$5^{5}/_{6}$ (130)	$7^{1}/_{3}$ (102)	$34^{1}/_{3}$ (22)	1: $4^{1}/_{5}$
Minus					
Avienus in descr. orbis terrae vv. 1—471:	$33^{3}/_{5}$ (14)	$3^{7}/_{8}$ (122)	$20^{1}/_{2}$ (23)	235 (2)	1:10
Inferior etiam					
Maximianus in el. I. II. III:	$10^{1}/_{2}$ (17)	$3^{1}/_{3}$ (54)	$5^{2}/_{3}$ (31)	45 (4)	1: 7
Quos superant					

---

1) Itaque Statius non solum imperatoriae aetatis artem sollemnem certe inter nobiliores adoptavit, qua spondei rarescunt spreta penthemimeri, sed etiam emendasse suam artem videbitur consulenti numeros quos enotavimus de F II; scilicet Epicedion Patris temporis prioris est.

2) Nam in tali poeta non adnumerandi erant vv. 281 et 87. Ceterum adnotandum est, Statium in tanta caesurarum et quarti pedis elegantia parcum simul fuisse vocabulorum amphibracheon; parcus itidem fuit Claudianus; at apud Ausonium in sede quinta reperiuntur tricesimi fere cuiusque hexametri.

3) Pessime Baehrensius (Mus. Rhen. XXVIII) ad v. 58 lectionem hanc, cuius est F II, proposuit: Quae postquam vitae auctumnos iam mille peregit; pergere enim nimirum debuisset vir doctissimus: Atque *eam* (non se!) reddiderunt! Coniunctivus, quidquid habet Veronensis, ita explicandus: Avis nemora fugit, aevum vergens ut reparet postquam mille annos vitae peregerit.

Draconti	PPS	PQS	H. tr.	F II	F II:F III
cc. VI. VII:	31¼ (9)[1]	6¼ (42)	4¼(66)	281 (1)[2]	—
c. IX:	58 (4)	7½ (31)	2⅔(87)	231 (1)	—
Denique					
Waltharius					
saeculi X:	10⅚ (53)	5⅐(112)	13⁶⁄₇(42)	28⅘(20)	1:1⅒

Iam vero parcendum erit et lectori obruto numeris et ipsis poetis numerorum suorum qui haud dubie accipi nolebant nisi sonum, observari et excuti argumenta sententias sermonem.

Tamen quoniam forma artium humanarum uniuscuiusque sicut mundi universi arithmetica ratione nititur comprehenditurque numeris hos sectatur semperque sectabitur cui vera artis cognitio curae est; nisi forte ipsa forma artis notionem expleri negabis. Noster in arte labor positus, spes omnis in illa. [3])

---

1) In versu VII, 122 si traditur: Est non levior vobis quatiente pudore, nolim cum Buechelero Poena in initio versus locare quamvis aptissimum; sed enim praeter metricam rationem dissuadere videtur impune quod statim praecedit. Scribi certe poterat: Est *sors* non levior vobis. In versu antecedenti 118 exspecto: Nam mihi quo teneor *tam* non dolor alter acerbus, Quam quod eqs. Scilicet nam non hoc uno Draconti loco sensu caret proprio, esti scribi praetulerim: Tam mihi quo teneor, tam non dolor alter acerbus.

2) Versus VII, 125 dubius. Hoc submoneo quod ex numeris apparet Dracontium sicut in sermone (vide M. Schmidtius quae monuit in Mus. Rhen. XXIX pg. 202) ita etiam in evitanda forma II Lucanum imitatum esse videri, quem vincit studio duplicis incisionis; ceterum conferatur Claudianus.

3) Hoc adici necesse est in calculis meis est et es si antecedebat vocalis cum antecedenti semper me coniunxisse verbo, item quare pro uno habui et siquis et quodsi (quodni) nisi sequebatur aut forte aut quis, quodque minus probabis inter etiam ante monosyllabum accusativum velut quos, quas. Denique de nominibus graecis in eus finitis spondiacis velut Theseus Orpheus quid statuerim, alia fortasse occasione data ut explicem continget.

Agitur in hoc libello

Loci scriptorum iudicati:

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Theodorus Ulricus Birt Hamburgensis Wandsbecki in Holsatiae oppido anno h. s. LII die XXII mensis Marti patre I. C. Friderico matre Evelina e gente Haackiana. Litterarum elementis imbutus earumque in studium primum adlectus ab Henrico Schleideno, cuius amoris hunc quoque locum testem esse volo, adii gymnasium Iohanneum Hamburgense quod sub cura tunc Ioh. Classeni prosperrime florebat. Anni vere LXXII Lipsiae litterarum antiquarum studiis me dedi; post semenstria duo Bonnam migravi cuius almae sedis doctrinae disciplina usus sum usque ad hunc diem. Docuerunt me Ahrens, Bergk, I. Bernays, Brockhaus, Buecheler, G. Curtius, Hildebrand, Hiller, R. Kekulé, Kuhn, Lange, I. B. Meyer, Ritschl, Schaefer, I. Schmidt, Usener, Zarncke. In seminarium philologicum regium Bonnense ut reciperer — cuius sodalis fui per 4 semenstria, per unum senior — Buecheleri Heimsoethi Useneri singulari benevolentia factum est. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt epigraphicis Buecheler, archaeologicis Kekulé, philologicis Bergk Buecheler Hiller. Quos viros doctos omnes optime de me meritos esse profiteor; prae ceteris Buecheleri Useneri memoriam pio semper gratoque colam animo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

῞Ομηρος nomen *caecum* hominem significat (Lycophr. v. 422; Ps. Herod. Vita Hom. § 12; Agon Hom. Hes. v. 11 et 28) quia caecus solet duci „adiungi“ vel ducem „sequi“; nam ὁμηρεῖν (cf. Odyss. π 468) παρὰ τοῖς ἀρχαίοις λέγεσθαι τὸ ἀκολουθεῖν Theopompus ait (fr. 318 apud Mueller. fr. hist. gr.). Itaque ῞Ομηρος idem est quod τυφλὸς ἀνήρ (Hymn. Apoll. v. 172).

II.

Fabula de Ariadna a Theseo rapta et propter testificationes Dionysi necata quae breviter perstringitur Odyss. κ 326 sqq. narrata erat in Cypriis ἐν παρεκβάσει.

III.

Aristophanis Acharn. vv. 842—844, quibus turba opsonationis illustratur, respiciuntur in scholio ad Pac. 1008, cuius lemmati verba ἄλλοις τένθαις πολλοῖς addenda sunt.

IV.

Xenophontis qui fertur Hieron post annum 357 a. Chr. n. scriptus est.

V.

Cicero in Somnio Scipionis II, 3 scripsit: Quaeso, inquit, ne me e somno excitetis et *perturbetis* (*parū reb*; libri), audite cetera.

VI.

Augustus anno a. u. c. 718 honores tribunicios (Cass. Dio 49, 15), anno 724 aut 731 tribuniciam potestatem (Dio 51, 18. 53, 32) accepisse videtur; certe in Rebus Gestis Divi Augusti graeca (5, 10, 17) ita scribenda: *καὶ ἵνα, ἱερὸς ὦν, διὰ βίου τὴν δημαρχικὴν ἔχω ἐξουσίαν, νόμῳ ἐκυρώθη*; latina (2, 10, 22) fere sic: Et sacrosanctus postquam dictus sum, ut quoad viverem tribunicia potestas mihi esset, lege sanctum est.

VII.

Priapeum XII ita incipiendum: Quaedam *canior* (libri *iunior*) Hectoris parente.

VIII.

Properti in elegia II, 6 lacuna nulla statuenda, sed ordinandi versus ita: 1—26. 35 sq. 27—30. 33 sq. 31 sq. 37 sqq., ut hanc assequaris distichorum partitionem: 3 + 4. 4 + 3. 4 + 3 (v. 41 pro „me ducet" ponendum „seducet").

IX.

Calpurni eclogae IV versuum 82—146 strophicus ordo (cf. G. Hermann. ad Bionem pg. 46) recuperatur si post v. 96 quinque versus intercidisse statueris quibus Amyntas de Apolline verba fecit.

X.

Scholia in Iuvenalem vetera quod Marium Maximum Suetoniumque sequuntur, saeculo quarto congesta esse commendatur verbis Ammiani Marcellini XXVIII, 4, 14.

XI.

Aristides in oratione *Εἰς Βασιλέα* (IX) 60, 16 Iebb. scripsit: *ὁ δὲ οὕτως ἐξηγεῖται καὶ διέπει τὸ τῆς ἀρχῆς, ὅνπερ χρὴ τρόπον τὸν* (libri *τὴν*) *εὐσέβειαν μὲν καὶ δικαιοσύνην, ἔτι δὲ σωφροσύνην καὶ ἐγκράτειαν καὶ φρόνησιν καὶ τὴν ἄλλην ἀσκοῦντα* (libri *κόσμον γε*) *ἀρετήν.*

XII.

De Menaleus nomine apud Ovidium obvio iudicandum sicut de Menalippus, Menalippe similibus.

XIII.

In dipodiis generis diplasii principalis ea arsis est cui pura semper et brevis thesis antecedit.

XIV.

Sculptores antiquos pictoresque ad varia argumenta schema idem adplicavisse luculentus testis Propertius est in el. I, 3 vv. 1—8.

XV.

Schillerus in hexametris pangendis sicut multis locis consulto trochaeos praetulit ubi ad manum dactyli erant, ita post quartum trochaeum incisionem evitavit nisi simul inciso pede tertio.

14 DAY USE
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED

LOAN DEPT.

RENEWALS ONLY—TEL. NO. 642-3405

This book is due on the last date stamped below, or on the date to which renewed.
Renewed books are subject to immediate recall.

JAN 28 1969 24	
RECEIVED	
APR - - -12 M	
LOAN DEPT.	

LD 21A-38m-5,'68 (J401s10)476B

General Library
University of California
Berkeley